


Johann August Ernesti    Balthasar Gottlieb Hennig

**Brevis Repetitio Et Adsertio Sententiae Lvtheranae De Praesentia Corporis Et Sangvinis I. C. In Coena Sacra : Dispvatio Theologica ... Ipsis Kal. Oct. A. D. MDCCLXV**

Editio Secvnda, Lipsiae: Langenheim, 1765

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn829815848>

Druck    Freier  Zugang





Via Proprietas sive Dupl.

71

572

Fa-1092 (ii.)

- N. 1. Wippel *Labum sub Daniel Eremita.*
- N. 2. Christoffelius *lingularia oettingensia*
- N. 3. la providence ne s'interesse point à l'individu mais à l'espece.
- N. 4. Tychsen *abbreviaturarum hebraicarum supplementum l.*
- N. 5. Burfeker *de gaza derelicta futura ad illustrandum locum Zeph.*  
 xl. 4. *Dissertatio postposita.*
- N. 6. Ernesti *de praeparata corpori et sanguini Christi in coena sacra.*
- N. 7. ~~Ernesti~~ *de Concilio Tridentino part. l.*
- N. 8. Aepinus *Imp. Caroli Ch. merita in rem sacram.*
- N. 9. Charvicius *de sapientia sanctissima rite colenda.*
- N. 10. Tychsen *de delectu veterum ebraeorum dissertationis l.*
- N. 11. Witte *de genuina S. G. universali natione.*
- N. 12. Boederlein *de finibus theologiae dogmaticae et moralis recte constitutendis.*
- N. 13. Weidenes *quod salus aeterna non meritis nostris sed solum Dei gratia per meritum Christi acquiritur ne talis.*
- N. 14. *Item Regentis male regens et fanatici reditum ad Papismum frustra suadent.*
- N. 15. Rufius *de veris sinceris peccatoris Christi requisiti etc.*
- N. 16. Zaachre *de lege aequilibrata in natura observatam etc.*
- N. 17. Schmid Verisio *Alexandrina optimum interpretationis librorum sanctorum praedictum.*
- N. 18. Richter *de theologo Dei homine ad 2 Thim. III. 17.*
- N. 19. Schubert *de iudicio Joannis Calvini et Figurarum in causa Haereticorum.*
- N. 20. Zachariae *de usu dogmatico nomini filii Dei.*
- N. 21. Emmerling *interpretatio. Num. XXII. 20-31.*
- N. 22. Hoerfelmann *de divina punctorum vocalium et aereentium codicis hebraici origine.*
- N. 23. Haempfer *de modo praedicationis Paulinae per exegesis dicit i Col. II. 4. 5.*
- N. 24. *Item de modo praedicationis etc.*
- N. 25. Haestner *Christus - Grund des Unsterblichkeits des menschlichen Geistes.*
- N. 26. Christoffelius *de vita Pamingerorum commentarius etc.*
- N. 27. Becker *quaestio: an aeterna annihilatio hominum peccatorum fore etc.*

- N. 28. Rector et senatus academicus civibus Academiae Fredericianae Butowien-  
 N. 29. Fauvotius de poena hereticorum etc.  
 N. 30. Doederlein de vero usu atque abusu rationis humanae in rebus diuinis  
 N. 31. Dem de usu atque abusu rationis etc.  
 N. 32. Rector Academiae Lipsiensis Pentecostales ferias etc.  
 N. 33. Rector et senatus academicus civibus Academiae Fredericianae Butowien-  
 N. 34. Academiae Fredericianae Butowienfis Rector et senatus acade-  
 micus memoriam resurrectioni Christi etc.  
 N. 35. Dem solennia natalia Domini nostri Jesu Christi etc.  
 N. 36. Zachariae Christus  $\pi\epsilon\omega\tau\omicron\tau\omicron\kappa\omicron\varsigma\ \epsilon\kappa\ \tau\omega\upsilon\ \rho\epsilon\gamma\mu\omega\upsilon$   
 N. 37. Rector et senatus academicus Butowienfis etc.  
 N. 38. Zachariae Christus  $\pi\epsilon\omega\tau\omicron\tau\omicron\kappa\omicron\varsigma$   
 N. 39. Rector et senatus academicus Butowienfis etc.  
 N. 40. Marrius de jurisprudentia diuina ex codice sanctissimo  
 N. 41. Becker an Gn. D. Teller nisi negata vera spiritus sancti deitate etc.  
 N. 42. Dem an Christus in sua explanatione et ascensione etc.  
 N. 43. Chryzander de fundamento explanationis Christi Romini maiestatis  
 N. 44. Dem recensio scriptorum eruditorum  
 N. 45. Rottboell de vestibus et calceis Israelitarum.  
 N. 46. Trendelenburg de Iudaeis etc.  
 N. 47. Ministerii quae hinc hinc Pastoralis scripturae etc.  
 N. 48. Rector vniuersitatis ad solennia paschalia etc.  
 N. 49. Quistorp de ratione modoque quo peccati fomes etc.  
 N. 50. Becker creationis vniuersi gloria filio Dei etc.  
 N. 51. Quistorp de  $\lambda\omicron\gamma\omega\ \text{Pauli}$  (1 Cor. 1. 5)  
 N. 52. Prier de sanctis angelis et apostolorum etc.  
 N. 53. Detharding de cura infantum recentium puerorum penes etc.  
 N. 54. Martini de non usu iudicii denuntiatorii in Megapoli.

BREVIS  
REPETITIO ET ADSERTIO  
SENTENTIAE LVThERANAE  
DE  
PRAESENTIA CORPORIS  
ET SANGVINIS I. C  
IN COENA SACRA

---

DISPVATIO THEOLOGICA  
IN DEDICATIONE  
AVDITORII THEOL. INSTAVRATI  
IPSA S KAL. OCT. A. C. CIOIOCCCLXV  
SVB PRAESIDIO  
D. IO. AVGVSTI ERNESTI  
DECANI FACVLT. THEOL. IN ACAD. LIPS

DEFENSA  
A  
BALTHASARE GOTTLOB HENNIG  
PHIL. MAG. ET AD AEDEM D. PETRI CATECHETA

---

EDITIO SECVNDA

---

LIPSIAE  
EX OFFICINA LANGENHEMIA

BREVIS  
REPERTIUM ET ADVERSUS  
SENTENTIAS LUTHERANAS  
DE  
PRAESSENTIA CORPORIS  
ET SANGVINIS I.C.  
IN CORONA SACRA

DISPUTATIO THEOLOGICA  
IN DEDICATIONE  
AUDITORIUM THEOL. INSTAURATI  
PUB. PRAESIDIUM  
D. I. O. AUGUSTI ERNESTI  
DECANI FACULT. THEOL. IN ABBATIS  
P. LUTHERI

A  
BALTHASARE GOTTLIEBO HENNIG  
P. LUTHERI  
EDITIO SECUNDA  
L I P S I A E  
EX OFFICINA LAGARDIENSI



Σὺν Θεῷ.



Superuacuum laborem suscepisse videamur, et fortasse plus periculi in publicum quam utilitatis habiturum, cum dogma Ecclesiae nostrae de praesentia corporis et sanguinis I. C. in Coena sacra explicare et vindicare instituimus. Nam quaestio est ea, quae multis multorum literis explicata, et acerrimis saepe controuersis agitata, vix aliquid nouae lucis accipere posse videatur: tempora autem nostra sunt eiusmodi, vt, in disputatione illa et controuersia reuocanda, causae nostrae valde metuendum videatur: quippe homines etiam nostri ita inclinauere ad licentiam de mysteriis religionis Christianae iudicandi, eademque suis interpretationibus aptiora faciendi ingenio humano, et prope penitus tollendi, vt verendum sit, ne, si controuersia haec rursus agitari vehementius coeperit, plures discedant in partem eam, quae rationi humanae expeditior est et mollior, quam quae Scripturae Sacrae auctoritatem seuerius defendit. Enimvero causas instituti nostri habuimus ita et ab vanitate alienas, et ab studio controuersiae serendae, vt eas nos cuius non nimis iniquo iudici facile probaturos consideremus.



Ac primum nos et e scriptis multorum nostrae aetatis, et sermonibus, ipsa denique fama, accepimus, praesentiam corporis et sanguinis I. C. in Coena sacra ita coeptam esse explicari, ut re, et vi vera praesentiae sublata, merum nomen relinqueretur, eamque rationem ita serpere et propagari per disciplinam doctorum, ut verendum sit, ne paullo post miretur Ecclesia nostra, se prope totam Zwinglianam factam esse. In quo etiam aliud maius periculum proponitur doctrinae sacrae veritati, ut posthaec demonstrabimus. Ei igitur malo occurrere, quantum in nobis esset, volumus, partim cauendo iis, qui vel nondum imbuti essent tali opinione, vel adhuc abessent ab erroris pertinacia, partim admonendo hos, qui bona fide errorem talem tenerent, putarentque, se cum *Lutero* in hac causa sentire, cum re vera ab eo longe discesserint. Quod nos sperauimus perfecturos esse, si sententiam veram Ecclesiae nostrae cum suis rationibus breuiter repeteremus, et nouis rei explicandae modis refellendis, firmaremus.

Nec vero illud nos parum ad hoc scribendi consilium impulit, quod non modo in parte ea, quae veritatem praesentiae, vel praesentis in Coena sacra corporis et sanguinis I. C. palam oppugnat, repereramus subinde, qui vel sententiam nostram labefactare conarentur rationibus iis, quae speciem habere possent apud parum peritos rerum, vel totam rem nullius momenti esse ad summam religionis defenderent, atque ita negligentiam causae vniuersae inducere tentarent; sed etiam inter nostros extiterant, qui vel palam a nobis dissentiendo, vel suspiciones serendo, labefactarent animos multorum, aut saltem in graues et molestas dubitationes coniicerent. Enim vero, ut, in certa pace arma mouere, vel superuacuum vel iniquum est; cum alii mouere, studium securitatis tuendae et honestum et necessarium videri debet: ita nobis quoque licere, et honestum videri debet, in illo aliorum conatu, subinde circumspicere munimenta causae nostrae, ea conseruare, firmare, augere, et aduersus vel vim vel insidias defendere.

Sed



Sed cum causam ac defensionem doctrinae publicae, omninoque veritatis, cum ceteris Ecclesiae doctoribus, tam multis tamque praeclaris, communiter sustineamus, non proprie hanc veluti prouinciam attributam habeamus, eam hoc tempore, et in hac parte, suscipere non venisset in animum nobis, qui praesertim aliis fat multis et magnis oneribus premebamur laborum vel publicorum vel priuatorum, nisi eam nobis imposuisset multorum bonorum voluntas, etiam ignotorum, qui sibi scrupulos iniectos faterentur cum aliunde, tum ab Heumanniana professione et indemonstrabili demonstratione, quos sibi, etiam nostra opera, eximi cupere, tota hac causa a nobis explicanda, et eo, quo instituimus, modo, disceptanda. Cupiebamus etiam fidem a nobis datam (in *Bibl. Theol. T. V. p. 157.*) Viris bonis, exsoluere, qui per talem aliquam occasionem sibi satisfieri voluissent. Omnino semper hoc factum est salubri instituto maiorum, ut magna illa capita doctrinae, per tales Exercitationes interdum repeterentur, inculcarentur, noua luce, si fieri posset, perfunderentur: idque institutum etiam nunc publica lege sancitum in Academia nonnullis durat.

Illud autem in principio rogamus lectores nostros, ut nobis, praesertim in parte ea, quae habitura est demonstrationem dogmatis ipsius e Scripturis, liceat nostro delectu et modo uti in argumentis vel vsurpandis vel tractandis: quam libertatem et aequam et iustam esse, et semper vsurpatam ab doctoribus Ecclesiae praestantissimis, nuper a nobis est demonstratum, cum de libertate doctoris, praesertim in causis ad religionem pertinentibus, disseribamus. Atque nos ea libertate utemur, ut semper, hoc est, modeste et sine reprehensione aut insectatione aliorum, quibus et ipsis suam in tali genere libertatem concedimus. Satis est veritatem bene defendi: nec eius defendendae ubique vna rata forma est aut esse debet. Neque vero nobis consilium fuit, congerere omnia, quae dogmatis huius confirmandi causa ab aliis allata sunt, sed ut nos, pro ingenii nostri modo, putemus posse facillime et planissime defendi, ostendere. Itaque sua quisque argumenta, quibus in do-



cendo solet vti, nobis non inuitis, salua poterit et idonea existimare. Atque haec nobis de consilio nostro institutoque dicta sunt. Ad rem ipsam veniamus.

1. Primum igitur defendimus, ipsum corpus Christi et sanguinem adesse sumentibus, et sumi vescendo et bibendo, non modo cogitatione ac fide, eamque appellamus praesentiam vtriusque veram, et quae proprie dicitur, hoc est, substantiae, quae non cogitatione credentis efficitur; nam ea est perpetua et in potestate credentis, nec opus habet sacramento aut actione edendi ac bibendi; nec est actio modo Christi spiritualis et salutaris in mente fideliter sumentis symbola, nam et haec perpetua est in fidelibus per verbum Euangelii ad fidem alendam, et per eam tranquillandum exhilarandumque animum pium: sed quae contingit per benignam voluntatem Christi, promissione eius diserta declaratam, sine qua eius spes esse non posset, et per quam Sacramentum est constitutum. Talem ergo praesentiam, siue hoc genus praesentiae defendi Ecclesiae nostrae doctrina publica, partim diserta Confessionum nostrarum verba testantur, vt *Apologiae A. C. art. 10*, quod in Coena sacra *vere et substantialiter* adsint corpus et sanguis Christi, et *vere exhibeantur cum illis rebus, quae videntur, pane et vino: conf. Form. Concord. art. 7.* vbi diserte *substantialis praesentia* commemoratur: partim aduersae partis professio, quae se, ait, praesentiam, quae contingat per fidem in animo, sitque operantis in animo Christi, concedere, substantiae nullo modo. Quamquam in hoc quoque sunt faciles nonnulli, voluntque substantiae praesentiam agnoscere videri, sed quae sit in efficientia corporis et sanguinis Christi, non autem in *ἀδυσασία*, quam solam proprie praesentiam appellari, alteram autem, quae efficientiae est, figurate, liquidum est. Sed de hoc post haec diligentius dicendi locus dabitur.

2. Iam huius talis praesentiae, ipsiusque adeo corporis et sanguinis Christi, in Coena sacra, promisso ipsius propositae, veritas et proprietas, quomodo intelligatur ac demonstretur, videamus. In eo autem, cum dubium esse non debeat, quin primum locum teneant



teneant verba instituentis Coenam sacram Christi ipsa; ab iis initium faciunt omnes, qui hanc demonstrationem recte suscipiunt: quorum nos rationem nostro modo sequemur. Nam qui verborum Christi ipsorum nullam in hac demonstratione rationem habendam dicunt, non minus perite faciunt, quam qui legis alicuius, edicti, decreti, testamenti, pacti, sensum non ex ipsius verbis petendum dicant, si quis super iis dubitationem mouerit cupiditate aliqua vel prauitate commotus. Qui autem iis loca Scripturarum alia adiungenda esse defendunt, nihil aliud, si recte sentiunt, dicant necesse est, quam verborum Christi interpretationem fieri comparandis aliis locis Scripturarum, per quae verborum potestas intelligi possit, et firmari iis, quibus intelligatur, Apostolos ipsos verba Christi non aliter intellexisse: quod est commune totius interpretationis biblicae. Est autem genus argumenti duplex, alterum generale, quod ab indole vniuersa orationis ducitur, alterum a verbis ipsis et contextu verborum.

3. Et in illo quidem maxime in promptu solet esse hoc, verba ea, quia testamenti sint, proprie intelligi debere ac sine figura, vt sint clara, nec ambiguitate sua et obscuritate fallant audientes. Id etsi, recte intellectum, non est inane; tamen parum valuisse, aut elusum esse exceptionibus aduersariorum, non est mirandum. Nam et tropica oratio potest esse clara et perspicua, estque non minus vsitata vulgo, quam propria, denique ea non abstinuit, etiam imperitam plebeculam docens, Iesus Christus. Sed, vt opinamur, mens maiorum nostrorum fuit haec, quam alibi explicauimus, vt negarent, tropis et figuris, praesertim durioribus et inusitatis, vti solere, qui hoc agant, vt facile et sine ambiguitate pateat, quid sentiant; in quo genere sunt non modo testatores, sed et legislatores, iudices, item vel maxime doctores, cum agunt hoc, vt doceant, vt explicent aliquid, non modo obiter et per occasionem aliquam, et velut aliud agendo, attingant; maximeque, cum aliquid primum tradunt, idque graue et magnum, et quod bene intelligi ab omnibus velint, aut posthaec non sint rursus tradituri. Nam haec sunt consentanea sensui communi et vsui, nec vocari in  
dubium



dubium possunt ab aduersariis, immo vltro conceduntur, et in interpretando subinde adhibentur, velut *Bocharto, Placaeo, Perizonio*, quos in *Interpr. Nou. Testam.* commemorauimus p. 57. et aliis. Enimuero ista omnia conuenire in verba Coenam sacram instituentis Christi, in promptu est, nec habere dubitationem potest. Etenim oratio Christi habet praeeptionem et explicationem instituti noui, eiusque magni, quod volebat et bene intelligi et teneri; eaque tum utebatur primum, nec erat postea vfurus, instante morte et discessu e terra.

4. Ac nos non ignoramus, in ea re locum esse posse exceptioni huic, *extra quam si* figura ante cognita vfu sit, vt obscuritati aut ambiguitati locum non faciat. Neque nos sumus ii, qui eius aequitatem non agnoscamus. Enimuero, quae sit huius exceptionis in hac causa vis, non intelligimus. Nam si quis dicat, et sic dici scimus, notam fuisse discipulis Christi hanc figuram e sermone Christi, a Ioanne litteris tradito, in quo *edere carnem Christi et bibere sanguinem eius*, figurate dictum esse, nemo ambigat, itaque potuisse in hac oratione et in docendo adhiberi figuram hanc, et ex illo ipso sermone a discipulis intellectam esse; eum multis modis falli dicamus, nec quid sit id, de quo in hac causa quaeratur, satis tenere. Etenim non dubitatur, an edere carnem et bibere sanguinem Christi per figuram dici possit de iis, qui per fidem amplectuntur Euangelicam doctrinam, et morti eius pro peccatis hominum acquiescunt: sed quaeritur hoc, an ea verba ita intelligi possint ac debeant, primum tum, cum panis vescendus, corpus Christi, et vinum bibendum, sanguis eius dicatur, et vesci et bibere iubeantur, quia panis ille sit corpus Christi, vinum autem bibere, quia sit sanguis Christi, vt est in ipsis Christi verbis? quod secus est in illa Christi apud Ioannem oratione et causa, cum neque panis edebatur, neque vinum bibebatur. Nec porro quaeritur, an ita haec intelligi possint in oratione, quae manifeste tota sit figurata, nitaturque praecedente commemoratione cibi naturalis, quo melior cibus, isque spiritualis commendetur, vt est apud Ioannem: sed



sed an tum, cum nihil tale praecefferit, vnde intelligi possit, figurate haec dici? quod negamus. Atque hic ille ipse est scrupulus, qui vrebat *Zwinglium*, cum ei esset a Scriba Ciuitatis iniectus; qui non requirebat exemplum Scripturarum, in quo verbum *esse* significandi vim haberet: quis ita imperitus sit vel Scripturarum vel omnino sermonis humani, vt de eo dubitare possit, atque eius rationis exemplum petere? quamquam in talibus vis significandi non est in verbo *esse*, quod nullam nisi coniungendi praedicati cum subiecto vim habet, sed in ipso praedicato: immo hoc quaerebatur, an vsquam in Scripturis sic diceretur absolute, h. e. extra parabolam et allegoriam, aut cum nulla allegoria vel simile quid praecefferet, in cuius explicatione, quod figurate dictum erat, accipit interpretationem, quae cum verbo figurato per verbum *est* copulatur. Atque ex hac dubitatione se tum expedire *Zwinglius* non poterat, vt ipse narrat in *Subsidio Eucharistiae*, et inde *Chemnitius* noster in *Annotat. hist. ad calcem Fundam. S. Coenae. §. 14*, nec se post inde potuit explicare; quippe exemplum, quod ea causa attulit, pariter est ex interpretatione cerimoniae paschalis, h. e. rei figuratae: quo genere nihil proficitur. Atque, vt id hoc loco addamus, ex eodem genere sunt omnia, quae ab aliis post eum allata sunt; in quibus maxime solet vsurpari illud Paulli, *1 Cor. 10, 4. ἡ δὲ πέτρα ἦν Χριστός, illa autem rupes erat Christus.* Nam ibi est applicatio narrationis, exempli causa propositae, ad rem praesentem. Enim vero, quis non videt, illam orationem instituentis Coenam sacram Christi nihil praecefferisse huiusmodi, ex quo pateat, figuratum sermonem haberi, aut esse interpretationem alicuius figurati verbi, sed, quid sit id, quod tradatur, doceri.

5. Ac ne quis dicat, cibi paschalis sumtionem praecefferisse, a quo transitus factus sit, vt in illo Ioanneo sermone, ad figuratam orationem, quae agni melioris carnem et sanguinem sumi iuberet, vt in illo, per fidem: primum clarum est, non primi velut actus conuiualis, h. e. sumti paschalis agni, continuationem esse in institutione Coenae S., in qua commemoratio fiat alius et melioris agni,



fed nouum actum, cuius pars altera etiam post coenam suscepta sit: deinde, si nihil aliud agebatur, quid opus erat, panem et vinum dare, quo sine illa interpretatio et de meliori agno per fidem vescendo oratio fieri poterat, vt illa apud Ioannem de meliori pane. In ipsis potius agni carnibus distribuendis dixisset: haec est caro mea. Sed haec vniuerse de proprietate verborum Christi dicta funto. Ad argumenta alia veri corporis et sanguinis Christi, praesentiaeque propriae, veniamus.

6. Quorum primum genus est, quod ex ipsis verbis I. C. eorumque contextu sumitur. Ac nescimus, an magnum argumentum sit in ipsa fluctuatione eorum, qui verba, hoc est corpus meum, tropice interpretantur: aliis tropum in subiecto, aliis in copula, aliis denique in praedicatione quaerentibus: praesudicium certe non leue facit pro causa nostra, quae ab illa inconstantia longe abest. Proprie autem arguit et indicat proprietatem verborum et praesentis corporis et sanguinis I. C. quod ea negata, et figura admissa ea, quam defendunt aduersarii, frigida existit et parum digna Christo tautologia. Quid enim efficitur illis verbis, si tropice accipiuntur, nisi, in pane et vino esse figuram et cogitationem Christi necati, cum fide et grato animo usurpandam: et sic intelligi volunt. Enimuero id est, pariter in clausula orationis. Neque enim ἀνάμνησις illa est alia, quam cogitatio memor Christi necati, cum fide et grata mente recolenda. Quippe sic dici ἀνάμνησιν in Scripturis, talibus in rebus, clarum est, non de simplici commemoratione, sed quae coniuncta sit cum aliquo religioso motu et actu animi et reminiscencia. Ἀνάμνησις quidem ἀμαρτιῶν, memoria vel commemoratio peccatorum in sacrificio, Ebr. 10, 3. haud dubie est, quae coniuncta sit cum dolore et deprecatione fidelium, qualem ipse Philo de Victimis agnoscit. Et eam ἀνάμνησιν ac memoriam proprie sic referri ad mortem Christi, plane docet Paullus ex illis ipsis verbis et praecepto Christi 1 Cor. 11, 26. demonstrans, mortem Christi pro nobis pie et religiose cogitandam esse; quam esse vim verbi καταγγέλλειν et similia in Scripturis, per hebraismum, cum de



de religiosis actibus dicitur, ex *1 Petr. 2, 9.* clarum est, vbi ἐξαγγέλλειν τὰς ἀρετὰς τῆ καλέσαντος ἡμᾶς, commemorare virtutes eius, qui nos traduxerit ad salutis veram cognitionem, iubemur, i. e. grata memoria et praedicatione prosequi. Nec vero, illa clausula habet explicationem verborum, hoc est corpus meum, hic est sanguis meus; quod est inuentum Bataui, iuuare volentis *Zwinglium*, cum se expedire non posset ex ea, quam diximus, difficultate, saepe post frustra iactatum ab Reformatis in illa disputatione (*v. Arnaud Perpetuité de la Foi T. II. p. 120.*) incognitum vniuersae antiquitati. Nam forma orationis ipsa, et explicatio Paulli *1 Cor. II, 26.* docent, in iis esse praeceptum de modo illius Sacramenti rite vsurpandi, non explicationem verborum superiorum.

7. Nec hoc contemnendum argumentum videtur, quod Christus, iubens omnes bibere, hanc causam addit, quod vinum porrectum sit sanguis suus. Τὸτό γὰρ ἐστὶ τὸ αἷμά μου: nam hic est sanguis meus. Neque enim id alio pertinere potest, quam, ne quis detrectet bibere, per causam satietatis, vt fit. Enim vero, si nihil aliud in sanguine Christi intelligendum erat, quam figura sanguinis per mortem fundendi, et cogitatio imminentis mortis, non tollebat excusatio praetermittendi calicis: quippe ea cogitatio et ante oblata erat sermonibus Christi, et poterat sine potu vini vsurpari: vnde aliud firmamentum causae nostrae exoritur, de quo post dicemus.

8. Qui negant proprietatem verborum Christi et veritatem corporis et sanguinis in Coena sacra, solent hoc, vt inprimis speciosum argumentum, vsurpare, vt dicant, si res ita sit, vt nos velimus, a discipulis Christi verba intelligi non potuisse. Vnde enim intellexisse, cum in omnibus sermonibus Christi nihil simile occurrat? Nec aut a Christo de ea re monitos, esse ad intelligendum praeparatos, aut ipsos admiratos esse rem talem, et interrogasse quicquam. Sed rationem tropicam iis notam fuisse e sermone, quem saepe commemorauimus. Fatemur, Christum vsu esse phrasi, cuius verus sensus discipulis notus esset, quia tradebat rem nouam, nec ipse



explicabat verborum sensum, nec discipuli de eò interrogabant, quod  
 solebant facere, cum haerent. Si autem constitit iis de sensu  
 verborum, vt primum ea audiuerant, eum tenuerunt vel e superiori  
 aliquo sermone Christi, vel e libris Testamenti veteris, quorum  
 sermo iis erat vsu frequenti et certo cognitus. Atqui illo modo  
 non cognouerant. Nam sermo ille apud Iohannem non huc et ad  
 hanc causam pertinet, propter eas causas, quas ante commemora-  
 uimus, et dissimilitudinem rerum: quippe ibi non edebant aut bi-  
 bebant, in quo Christus carnem filii hominis edi aut sanguinem  
 bibi diceret. Ergo relinquitur, vt e Testamenti veteris et Mo-  
 saico sermone vim horum verborum tenuerint. Et verba ea sunt  
 maniste sumta e secundo Mosis, 24, 8. vbi sacrificio solenni sancit-  
 tur foedus, cui, vt veteri, a Christo, Coenam sacram instituente,  
 opponitur nouum et melius, sacrificio corporis sui sancendum.  
*Hic est sanguis foederis* (quo sancitur foedus) *quod pepigit vo-*  
*biscum Deus super cunctis verbis his:* idque bene monet Auctor  
 Scholiorum in Epistolas Pauli, quae inter *Ambrosii* opera edun-  
 tur, *Hilarii Diaconi* esse putant, et ea verba ad interpretandum  
 confert ad *1 Cor. 15, 25. 26.* Ad horum igitur verborum formam  
 cum Christus in re simillima, et superiori illi (*τύπω*) respondente,  
 diceret, *hic est sanguis meus*, sanguis, *quo nouum foedus*, i. e. pro-  
 missio Euangelii, *sancitur*: aliter intelligere non poterant, quam  
 nos volumus, nisi monerentur et docerentur Christi interpreta-  
 tione; nec aliter intellexisse patet ex eo, quod nihil interrogant.  
 Ergo, vt illa verba Mosis proprie dicta sunt, sic et haec ita intelli-  
 debent; nec absurdum est *Arnaldi*, *Perpetuité de la Foi T. II.* et  
*Bossueti in Expositione Doctr. Cath. n. X. p. m. 70. ed. tert.* postu-  
 latum, si figurate accipi voluisset verba sua Christus, (aliter quam  
 dixisse constabat Mosen) monere debuisset discipulos: et id ferre  
 debent hoc aequius, qui, (vt *l' Abbadie in Epist. IV. de S. Coena*)  
 postulant praeparationem talem et admonitionem necessariam fuisse,  
 si Christus proprie accipi verba sua vellet: quod sane alienum erat  
 postulare, cum forma illorum verborum esset nota. Sed illud po-  
 stulatum



statutum accipit vim maiorem et necessitatem in nostra hac ratione, per quam intelligimus, discipulos Christi, illi formulae aduetos, saltem proclives esse debuisse ad proprietatem verborum amplectendam, nec de figurato sensu iis, sine admonitione, in mentem venire potuisse. Nam quod aiunt, per formulas in epulo paschali usitatas, et a Magistris Iudaeorum proditas, velut: *hic est panis, quem patres nostri comederunt in deserto etc.* praeparatos esse animos ad figuratum sensum intelligendum, omninoque in verbis Christi esse illarum formularum imitationem, quo valde inclinant recentiores Reformatae Ecclesiae Theologi: primum, incerta est tota illa magistrorum traditio, saltem haecenus, vt, illas formulas Christi aetate usitatas et ab ipso vsurpatis fuisse, pro certo adfirmare non liceat: nec eae proprie ad paschalem agnum pertinebant, aut praeceptum diuinum habebant: nec denique similitudo formularum dat certam causam colligendi, alteram factam esse ad imitationem alterius; praesertim cum habeamus formulam haud paullo certiozem, a qua Christi verba ducta esse, ita euidentem est, vt contra dici nihil possit, mirandumque sit, eius ignorantiam tantam vel fuisse, vel simulatam esse, vt eam nunquam, quod quidem sciamus, in hac controuersia tetigerint.

9. Sed alia argumenta sunt sententiae nostrae, quae partim ratiocinando ex locis Scripturarum ducuntur, ad Coenam S. pertinentibus, partim e natura rei ipsius, et principiis communibus vtrique parti. Et e primo quidem genere maxime usitatum est, quod e verbis Paulli *1 Cor. 10, 15.* repetitur, vbi panis ille Eucharisticus *κοινωνία τῆς σαρκὸς τῆς Χριστοῦ* dicitur, *communicatio vel participatio corporis Christi*: quamquam in iis plerique nostrorum (*κατὰ ἑρμηνείαν*) diserte inesse dicunt id, quod defendimus, et illam communionem interpretantur *coniunctionem panis cum corpore Christi*. In quo nobis liceat ab iis discedere, salua argumenti vi; cum illam interpretationem, vt nobis videtur, nec linguae rationes satis ferant, nec contextus orationis Paullinae, saltem non ea euidentia sit, vt apud aduersarium acrem et acutum valere satis possint. Idemque videtur



iudicandum de antiquiori nostrorum interpretatione, quae functionem corporis Christi cum pane intelligit. *Form. Conc. p. 847. ed. Rein. Panis quem frangimus etc. i. e. qui panem edit, corpus Christi edit*: quae est interpretatio *Chemnitii Fund. S. Coenae c. 9.* et ipsius *Lutheri Confess. mai. p. 885. (T. IV. Altenb.)* qui tamen melius et pressius ad communitatem functionis vel poni sumti et accepti refert: tanquam in verbis Paulli esset, *communio panis est comm. etc.* Sed argumentum, quod ex eo loco perspicue ducitur, huiusmodi est: Si, qui pane Eucharistico vescuntur, adducuntur in communionem corporis Christi: (nam hunc sensum etiam aduersae partis Theologi faciunt, et hunc saltem admittere debent, nec improbat hanc interpretationem *Calouius* ad h. l. si recte intelligatur:) ore sumant corpus Christi necesse est, non per figuram, et spiritu modo per fidem. Nam si hoc esset, fideles tantum ad illam communionem peruenirent, quod ipsi volunt ac defendunt, non omnes pariter, qui panem sumunt. Enim vero omnes ex aequo, secundum Paullinam rationem, in communionem corporis et sanguinis Christi perueniunt, qui sumunt. Vnde efficitur, ut falsum sit, quod ab illis sumitur, verum, quod nos defendimus. Sed ex mente Paulli, omnes sine discrimine vescendo ac bibendo in communionem quandam corporis Christi venire, id sic intelligitur. Primum oratio Pauli et admonitio, quae commemorata corporis Christi per panem Eucharisticum communionem firmatur, ad omnes Corinthios, qui se Christianos ferrent, ex aequo pertinet, non modo sanctos et fideles, sed etiam, et multo magis, ceteros; de eoque dubitari non potest, tota disputatione Paullina aduersus eos, qui conuiuia e carnibus victimarum obirent, clamante. Nam quis dubitare potest, partem eorum maiorem fuisse de numero hypocritarum, quam vere fidelium et sanctorum: quippe minae illae Paullinae profecto non fidelibus proponuntur, sed hypocritis, his certe maxime. Et hos tamen ipsos ab ea licentia deterret Paulus hoc argumento, quod per Eucharistiam fiant participes corporis et sanguinis Christi. Quid? quod clare v. 17. quia omnes ex eodem



eodem pane vescantur, omnes eiusdem corporis esse docet, nempe per participationem eiusdem corporis Christi in Coena sacra. Quae ratio tota inanis est et frigida, si impii et hypocritae solo pane vescantur; non vna percipiunt ore corpus Dominicum; cum animo et fide non percipere, in promptu sit.

10. Sed aliud graue argumentum nobis praebet eadem Paulli disputatio, in qua (1 Cor. 11, 27.) eos profanati cum graui culpa corporis et sanguinis Christi reos facit, qui indigno modo sumserint panem vinumque Eucharisticum, h. e. non eo, qui v. 26. exprimitur. Nam, vt ex eo loco veritas panis et vini in Eucharistia intelligitur, sic pariter veritas corporis et sanguinis Christi, et vtriusque praesentia talis, qualem defendimus, demonstratur. Ac primum, intelligi profecto non potest, quomodo, qui non edit verum corpus Christi, sed panem merum, qui tantum significationem Christi pro nobis mortui habeat, quomodo ipsum Christi corpus violet ac profanet? quomodo magis profanet eo, qui signo crucis inter precandum per meram consuetudinem, sine pia cogitatione, vtitur, aut verbum Euangelii de salute per mortem Christi speranda sine vera fide ac sensu pio audit et legit? Improbe facere omnes, palam est, sed violati et proprie profanati corporis Christi reos nemo dixerit; nec sic loquuntur Scripturae. Ergo, quod est consequens, intelligi debet in pane et vino Eucharistico aliquid amplius figura et signo. Id autem esse ipsum corpus et sanguinem Christi, vincunt sequentia; in quibus Paullus seuerè pronunciat, eum sibi perniciem edere ac bibere, qui indigne sumat: quod ipsum grauius est, quam pro abusu, aut peruerso vsu signi meri, per arbitrium constituti. Enimuero causâ adiungitur haec, *quod non discernit corpus Christi*. Id vero, nostro quidem iudicio, rem dirimit. Quid enim est, *μὴ διαγιγνεν τὸ σῶμα τῆς Κυρίας*, non discernere corpus Domini, nisi, corpus Domini ita edere, vt cibum profanum et vulgarem, quod fit, cum sine fide et religione sumitur. Nam verbum discernendi, hoc quidem in loco, est e significatione discernendorum ciborum secundum legem Mosaicam: in



in qua *non discernere cibos* dicuntur, qui puris et profanis ac lege vetitis pariter vescuntur, nihilque discriminis faciunt; qui cibos profanos et vetitos lege ita comedunt, ut legitimos et pro legitimis. Neque id *non discernere* proprie refertur in illa phrasi ad iudicium animi, sed ad ipsum actum edendi promiscue. Ex quo profecto fit, ut edamus ipsum corpus Domini. Quomodo enim ut cibus promiscuus sumitur, si omnino non sumitur, aut quomodo possumus corpus Christi ab alio vulgari, corpus alente cibo discernere et religiosius sumere, si profus non corpus ipsum, sed eius umbram modo et signum accipimus; si hypocritae, de confessione aduersae partis, omnino nihil praeter merum panem accipiunt? Dixisset potius, qui indigne edat de pane, nihil nisi pane, non corpore Domini, vesci, et nullum fructum capere, siue, profanare panem, qui per *εὐλογίαν*, sanctitatem aliquam accepit. Profecto, quo diutius ac diligentius hunc locum consideramus, eo magis firmatur animus noster in sententia Ecclesiae nostrae, et, ut nihil durius dicam in re sancta et ad religionis sanctissima mysteria pertinente, plane sensus nostri repugnant, cum fingere conamur, Paullum nihil aliud dicere voluisse, quam hypocritas nihil praeter inane ac sine re signum accipere, quod iis nihil profuit ad confirmandam et augendam fidem, quam omnino nullam habeant, id autem illis verbis expressum esse, *edere ac bibere perniciem, corpus Domini profanare, et pro cibo vulgari sumere*. Ac nos non ignoramus, quid hic dicatur elabendi causa: profanantur Symbola corporis et sanguinis Christi, inquit Reu. *Beckius in Synops. Theol. p. 292*. Audimus. Sed primo, hic sensus profecto nemini in mentem veniat, primum legenti, nec iam imbuto Zwingliana sententia; quod est argumentum falsae interpretationis inprimis graue: deinde, abusus hic estne tantus, ut propterea edat sibi perniciem, et non discernat corpus Domini? An ergo etiam, qui paschalem agnum, ut symbolum Christi mactandi pro peccatis, sine fide et pietate edebant, perniciem edebant, et non discernebant Christum et sacrificium pro peccatis nostris? An etiam, qui cibum quemlibet  
sine



sine precibus piis et gratiarum actione accipit, sibi perniciem edit, quia non discernit donum Dei, quod cum precibus et gratiarum actione sumendum erat. 1 Tim. 4, 5.

II. Et haec quidem argumenta ducta sunt e testimoniis Scripturarum: ad ea veniamus, quae a rei natura petuntur, hoc est, e natura communi Sacramenti. In quo utemur principiis tantum iis, in quibus consentientes habemus, qui in causa summa a nobis discrepant. Primum igitur fatentur nobiscum, in Sacramento *aliquid accipi, bonum aliquod inuisibile*, vnde fructum capere spirituales possint, qui recte utantur: idque eiusmodi, ut sit Sacramento proprium donum ac beneficium: foret enim alias inane et superuacuum Sacramentum ipsum. Hoc autem constituto, quaeramus, quid accipiat in Coena sacra, praeter panem et vinum, si non accipitur verum corpus et verus sanguis Christi, e nostra sententia? Profecto, secundum Reformatorem rationem, nihil accipiunt, neque qui recte, neque qui male utuntur Sacramento: non hi, quia mera symbola accipiunt, de ipsorum confessione. Nam bonum, quod accipiat, ponunt in perfectione et corroboratione fidei; quae in eos non cadit. Nec plus accipiunt recte utentes ac fideles, quicquid illi dicant. Nam sibi dant ipsi id incrementum, non in Sacramento ac per Sacramentum ipsum proprie accipiunt. Quomodo enim volunt fidem augeri per hoc Sacramentum? Nempe cogitatione fidei mortis Christi et gratiae Dei propter illam. At cogitationis talis suscipiendae nihil sane praeter admonitionem nec habent symbola, nec habere possunt, per naturam suam. Cogitatio tota est hominis, a qua, quia corroboratio fidei nascitur, eam homo fidelis accipit a se. Ergo sicut fideles extra Sacramenti usum, quacunque re, ut dicto aliquo doctoris, aut signo crucis vel imagine Christi, admoniti, suscepta tali cogitatione pia firmant sibi et augent fidem, non a cruce et imagine accipiunt; sic nec in Sacramento aliter fieri, secundum illam sententiam, potest; nec quicquam erit discriminis, nisi hoc, quod illa symbola panis et vini, a Christo instituta sunt, haec ab hominibus, quod ad rem ipsam nihil refert. Et nihil diximus de hoc,

C

quod



quod bonum, cuius in Sacramento accipiendi spes esse possit, in ipsa Sacramenti, veluti foederis, lege debet esse expressum. Sed in Eucharistiae institutae formula clarum est, praeter corpus et sanguinem Christi expressum et promissum nihil esse.

12. Atque ita porro etiam perit penitus ea, quam *Vnionem* vocant *sacramentalem*, agnoscuntque ac defendunt nobiscum, qui contra nos stant, sed profecto tantum nomine, non re, ut facile intelligi potest. Nihil est mirabilius, ut mihi videtur, in tota eorum sententia, quam illa *Vnio*, quam dicunt, cum plerisque nostrum, fieri in consecratione, ut nuper is, quem diximus *Reu. Beckius p. 287.* At in promptu est, coniunctionem corporis Christi cum symbolo panis fieri, secundum eorum opinionem de praesentia corporis et sanguinis Christi, ab fumentis fide, non factam esse a Christo, aut fieri a sacerdote consecrante. Nam fides, secundum eos, facit praesens corpus Christi, nec id proprie iungit fides cum symbolo panis, sed admonitus a symbolo, ut alias a cruce aut alia figura, id iungit menti suae, cogitatione sua spiritualiter vescendo. An hic umbra est vnionis, quae symbolum panis et corpus Christi intercedat?

13. Denique etiam hoc est inter concessa de Sacramentis ut *vim* aliquam habeant et *efficaciam* salutarem. Nam queri solent nobiscum hoc nomine contrariae sententiae defensores, quod eos, dicamus, Sacramentis nullam vim et efficaciam relinquere; cum fateantur, iis tribui clare in Scripturis, et sine ea merum lusum fieri: immo in eo capite plane se, aiunt, nobis consentire. Enim vero, cum veniunt ad explicandam illius efficaciae naturam, totam tollunt, solum nomen relinquunt: nec aliter sinit fieri eorum de natura Sacramenti sententia. Nam veram quidem efficaciam et vim agnoscere nemo potest, nisi hanc, quae est ei rei, cui tribuitur, insita, haeretque in eius vel vniuersa natura, vel parte aliqua. Vbi igitur est talis efficacia eorum sententia probata? In symbolis panis aut vini? Nequaquam. Nam in iis nihil est nisi admonitio aliqua ex instituto Christi cognito. Haec vero non est illa efficacia salutaris, quam nos defendimus re, illi verbo. Et est haec omnibus hypocritis cum vere



vere piis communis; quod fecus est in efficacia propria Sacramenti. Quod si ipsum corpus Christi verum cum sanguine eius adest, habemus, in quo efficaciam ponamus, quod efficaciam habere possit insitam. At si non adest, vbi haerebit, quando nihil praeter illa symbola relinquuntur. Non certe in ipso Sacramento, qua est diuinae institutionis. Ergo amandabitur ad fumentis cogitationem piam: ea sola dabit Sacramento efficaciam: nam ea sola firmat in illa ratione fidem: si planius dicas, ea habet efficaciam et vim augendae fidei, non Sacramentum, quod nihil aliud, quam admonuit Christianum, vt fidem cogitando excitaret.

14. An vero, quaeso omnes Christianos, Sacramentorum reuerentia quadam imbutos, placet Sacramentum Christi, quod ipsum nullam vim habeat, sed ad summum accipiat aliquam ab homine? quae pendeat ab eius cogitatione? Non profecto, nisi me fallunt omnia. Ac videamus, quae porro consequantur. Nam si nulla alia vis est in illo Sacramento, quam talis admonitionis: quorsum institutum dicemus a Christo? An aliud in eo quicquam erit, quam *ὁσθενὲς καὶ πτωχὸν σοιχείον*, tenue et leue elementum, vt Paullus ritus. V.T. vocat, Gal. 4, 9. hoc est, exercitatio admonendi, comparata infantiae Christianae Ecclesiae, qua non sit opus adultis, h. e. fidelibus, qui adfueti sint melioribus et virilibus exercitationibus legendi et cogitandi Euangelii, nec indigentibus tali admonitione? Quis vero iam reprehendat Socinianos, qui, ab illa Zwingliana opinione profecti, et, quid consequens esset, perspicientes, nullam illius Sacramenti vsurpandi necessitatem esse contendunt, et liberum cuique relinquunt, vti eo velit nec ne? aut quis indignetur Fanaticis, qui se carere posse hoc Sacramento iactant, laetarique se dicunt, quod ita profecerint, vt sibi non opus sit Eucharistiae Sacramento? Nam nihil horum absolum est, aut ab veritate et aequitate abhorrens, si in eo mera est significatio corporis et sanguinis Christi. Enimvero, cum ista prorsus abhorreant ab sensu Christiano, sintque dedecori Sacramento sanctissimo; efficitur, rationem nostram potius esse probandam, quae vim, et dignitatem, et necessitatem Eucharistiae non mo-



do saluam relinquit, sed etiam commendat et illustrat; immo, sine qua dignitas eius et vis salua esse nullo modo potest. *ad q. u. bono*

15. Fuerunt, qui magnum argumentum et firmamentum causae nostrae peti posse dicerent ab epulis, post sacrificia fieri solitis, de carne victimarum. Est autem haec ratio Coenae sacrae comparandae cum illis epulis a *Cudwortho* vel inuenta, vel inprimis exornata in libello de *Vera Notione S. Coenae*, quem latine versus *Systemati intellectuali* subiecit cum notis suis *Moshemius*. Existimabat ille, Coenam S. respondere imitatione quadam epulis iis, quae ex carnibus victimarum fieri solerent apud Iudaeos atque etiam Gentiles. Eas porro existimabat hanc vim habuisse, e mente utrorumque, ut per eas homines venirent in communionem eius Dei, cui sacrificium factum esset, quod etiam firmari putabat disputatione Pauli *1 Cor. II.* Id inuentum placuit quibusdam non modo Britannicis Theologis, nuper etiam *Warburtono*, Episcopo Glocestriensi, in libello de *natura Eucharistiae*, sed etiam de nostris, eruditissimis Theologis, *Gottfr. Oleario*, *Pfaffio*, *Iano*, etc. qui hinc putabant effici, ut qui Coena S. fruenter, carnem ipsius victimae pro nobis mactatae ederent. Sed ea ratio recte repudiata est a *Moshemio* in praef. ad *Cudworthianum* libellum, argumentis sane idoneis; quae ibi legent, qui velint. Nobis addere liceat ab eo bene disputatis haec duo. Primum res sunt valde dissimiles. Nam e victimis Iudaicis, quae non totae comburerentur, particulas tantum reliquae carnis comederunt, vel ipsi, qui victimas obtulissent, vel conuiuiae plures, ad quos sacrificium non pertineret: in Coena sacra totam corporis victimam accipimus vescendo. Deinde tota ratio earum epularum profecto non est satis intellecta, estque omnino eiusmodi, ut Coenae S. nullo modo apta sit. Etenim, ut ab epulis Gentilium incipiamus, eae nullam coniunctionem habuere cum religione: sed quoniam victimarum pars tantum solebat immolari, exta fere et adeps, ut notum est e poetis graecis et latinis, ceterae carnes reddebantur iis, qui animalia mactanda dedissent. Eas porro carnes licebat sibi seruare omnes, ad usum familiae, etiam, si absumi recentes non possent,



possent, sale conditas seruare ad usum ceteri temporis, denique etiam vendere, vel per partes pluribus, vel vniuersas laniis, a quibus diuenderentur in macello, quod etiam Paulli verbis intelligitur *1 Cor. 10, 25*. Sed moribus Graecorum hoc sordidum putabatur et illiberale; vnde ab *Theophrasto* in partibus illiberalitatis ponitur *Charact. 22*. Itaque locupletes, liberalius et honestius viuere soliti, earum carniū partes donabant amicis, itemque epulas faciebant, in quibus earum pars absumeretur: quod intelligitur loco *Xenophontis Mem. S. II, 3, 11*. Nec coniunctionem harum epularum cum religione arguit locus Paulli *1 Cor. 8, 10*, vbi epularum talium in delubro actarum est commemoratio. Nam primum, id non perpetuum fuisse indicat alter locus *10, 27*, vbi profecto non est sermo de epulis in delubro, quod in iis sine indicio constabat, e victimis carnes praebere: deinde, ibi epulas tales in porticibus instituebant, quibus domi locus commodus non esset; in iis autem etiam alia humana agi solita esse, satis constat. Et, quod Gentiles ad eas epulas etiam inuitabant amicos e Christianis, a quibus Deos suos sciebant contemni, id profecto clare docet, eas nihil coniuncti cum religione habuisse. Apud Iudaeos autem tales epulas religiosas fuisse, nullo literarum sacrarum testimonio doceri potest: sed e partibus victimarum iis, quae sacrificantibus redditae essent, conuiuia facta sunt, vt dies sacrificii per laetitiam honestam et liberalem transigeretur. Itaque argumentum, quod ab iis epulis ducitur, vim habere nullam potest.

16. Sed multo minus probandum est argumentum, quod nonnulli ab ipsis sacrificiis Gentilium repetunt. Nam in sacrificiis iis, quibus, vt opinor, foedera sancirentur, morem hunc fuisse, vt sanguis victimae patera exceptus circumferretur gustandus his, quos inter foedus patratum esset. Ad huius autem moris imitationem referendum esse Coenae sacrae calicem, quem diserte foederis noui Christus appellat, sanguine suo sancienti; cum ex altera parte constet e victimae foederalis carnibus comedisse, qui foederis sancienti essent participes. Malleus utique abstinuisse Viros doctos et defendendae veritatis, quod laudamus, cupidos, ab



huius rei commemorandae et ad firmandum dogma Ecclesiae nostrae conferendae consilio, quam eius rationis refellendae necessitatem nobis imposuisse. Nam, ut alia mittam, certe inter Iudaeos, quibus omnino nefas esset, sanguinem gustare, talem morem non fuisse, et, si aliarum gentium fuerit, ab eo rei a Iesu institutae explanationem petere, parum religiosum videri; tota res profecto est commentitia. Omnibus enim populis abhorrens ab humanitate, ut est, ita visum esse satis constat, sanguinem recens fuscum e venis bestiarum bibere: nec ullum in graecis latinisque scriptoribus extat ritus talis, quod ego cognouerim, vestigium. Atque ego memini me audire dogmatis Zwingliani asseclam, qui foederum prisco- rum ritu ad id firmandum abuteretur. Nam in illo foederum per victimam fanciendorum actu, aiebat, pateram vini circumlatam esse bibendi gratia, ut eo potu foederis participes fierent; idque vinum datum esse loco sanguinis, quem gustare nefas esset moribus humanis. Ad eum igitur modum Christum nos ad communionem foederis, victima corporis sui, perpetrati adduci voluisse vino bibendo, in quo esset figura sanguinis sui, quod id vice sanguinis daretur. In quo saltem illud verum erat, quod de vino ab immolantibus sumto dicebatur: sed alterum totum a veritate alienum, vinum loco sanguinis fuisse. Nam vini usus fuit in parte necessaria sacrificii talis, multorumque aliorum, nec quicquam habuit coniunctionis cum sanguine: quippe caesa victima et fuso ad aram sanguine, accedit demum vini libatio, per quam guttatim funditur primum e patera vini pars in victimam caesam, posthaec autem circumfertur patera, ut degustetur vinum pariter ab sacrificantibus, ut factum est etiam in aliis sine victima libationibus religiosis. Quid hic igitur est similitudinis cum Coena sacra? et si esset tamen: quid id ad Coenae sanctissimam cerimoniam? in qua Christum sumissem exemplum ab sacrificiis impiorum, sine iniuria in ipsum et eius iustitutum, dici non potest. Mittant ergo veritatis adsertores totum hoc genus argumentorum, quae e ritibus gentium captantur, satisque habeant uti Scripturis, et iis recte ac diligenter



ligenter explicandis veritatem firmare; quae non destituent recte tractantem, vt antea demonstratum est.

17. Sed duobus illis legitimis generibus argumentorum, quibus supra vsi sumus, addi solet tertium, quod ab consensu antiquitatis arcessitur. Nec id profecto leue et contemnendum videri debet. Quamquam video, nonnullos secus iudicare, siue inscitia antiquae doctrinae, et quia, quod quis ignorat, ad id contemnendum procliuis est, siue potius, vt interpretor, inconstantia et leuitate iudicandi. Nam ita sumus plerique: cum commodum est, extollimus, quod alio tempore, cum secus vel est, vel videtur, deprimimus; vt fecit in eadem re *Dallaeus*, vir antiquitatis Christianae scientissimus: qui cum antiquitatis testimoniis premebatur, toto libro vsu Patrum in Controuersis religionis impugnauit, et quantum in ipso fuit, depressit: vicissim, cum eum in pari causa deprimerent aduersarii eius, *Adamus* et *Cottibaeus*, plane contrariis argumentis eius vim asseruit et vindicauit: *Repl. aux lioues d'Adam et Cottiby P. 1.* cui libro prope principatus inter cetera viri opera debetur. Antiquitas ipsa profecto stulta fuit, quae tanti fecit consensum seculorum priorum, si in eo nulla vis est ad illustrandam veritatem; stulti *Flacius* noster, *Gerbardus*, *Bebelius*, et alii egregii viri, in demonstrando consensu Ecclesiae nostrae cum antiquitate vltima: stulti nostri omnes, qui tanto studio inuentum, imprimis *Zwickeri*, acerrimi Socinianorum, impugnauere testimoniis antiquitatis, cum, seculis prioribus, aliter de Christo sensisse Ecclesiam, demonstrare tentasset, quam Nicena synodus sanxerit: stulti *Claudii*, *Albertini* et multi alii, qui integris, etiam magnis voluminibus, et magno doctrinae apparatu, *Nicolium* primum, deinde *Arnaldum*, *Perronium* aliosque, repressere, transsubstantiationis dogmati consensum antiquitatis asserere conantes: stulti denique omnes, qui nouitatem dogmatum Romanorum demonstrare conati sunt, *P. Molinaeus*, *Dallaeus*, *Hunnius*, etiam noster nuper *Deylingius*. Sed abest longe ab his tot praeclaris viris haec tanta iniuria, nec vlllo modo in iis haerere tam ingratum crimen potest.

Et



Et ipse sensus communis vim huius argumenti defendit. Itaque ea semper fuit apud animos hominum permagna: nec alia magis causa praeclari illi, quos ante commemorauimus Viri in Francia, tanto cum apparatu doctrinae *Nicolinum* inuentum de perpetuitate dogmatis de transubstantiatione impugnauere, quam quod id multorum animos debilitasset, et ad Romanas partes inclinasset.

18. Sed in eo argumento non vna cautio est: prima, vt in eo non caput demonstrandi ponatur: nam id sibi vindicant Scripturarum sacrarum testimonia et rei natura: sed demonstrationis firmitas; quoad nimirum antiquitatis, vltimae in primis et incorruptae, simplicitatemque primam retinentis, testimonium firmat interpretationis nostrae simplicitatem et veritatem. Nam cum videmus, rem tantam ita, vt ipsi iudicamus, intellectam, quo tempore adhuc prope sonabat oratio Apostolica per ipsorum auditores, et lingua adhuc viua erat ea, qua Apostoli in scribendo vsi essent, mirifice confirmatur animus, iudicans de interpretationis, per legitimas artes quaesitae et repertae, veritate. Atque non aliam nisi hanc vim antiquitas erudita, et nostri illi principes doctrinae, testimonio Ecclesiae antiquae tribuerunt, *Facundus Hermianensis*, *Vincen-tius Lerinensis*, de nostris *Melanchthon*, cuius est de ea re disputatiuncula ad *1 Cor. 14. T. IV. Opp. pag. 290.* Altera cautio est, in qua maxime et saepissime peccatur, peccatumque est semper in illa controuersia, quid antiquitas de Coena sacra qua partem eam statuerit, de qua disputamus, vt ne promiscue vtamur locis librorum veterum, sed eorum primo, qui publicam auctoritatem habuerint, vt haud dubie insit doctrina publica Ecclesiae: post horum, qui proprie pertinent ad interpretationem Scripturarum; quales sunt Commentarii eorum, quos constat bene eruditos et interpretandi peritos fuisse, aut locis librorum iis, in quibus testimonia Scripturarum ad causam pertinentia, proprie explicantur: denique in quibus de eo capite doctrinae ex instituto, explicandi causa, agitur. Nam e talibus folis doctrina cuiusque aetatis certo cognosci potest: cetera debent ad horum normam explicari. His igitur obseruatis,



seruatis, recte hoc argumento utemur, nec mouebimur specie defensus, quae *Claudio* et *Arnaldo* et aliis tam molesta fuit, cum neuter omnibus locis, ab altero pro sua sententia prolatis, satisfacere posset. Sic ergo agemus: quamquam hoc iam egimus in *Anti-Muratorio* p. 87. Sed, quia ibi id egimus aduersus Pontificios, nunc contra aliam rationem disputamus, breuiter hic, quae ibi dicta sunt, cum aliquo auctario repetemus.

19. Primus igitur ex iis, quae constituimus, generibus, locus est *Iustini* in *Apol. secunda*, quae habet vim scripti publici, quia scripta est ad auertendam ab Ecclesia persecutionem, et est Confessionis publicae instar. Nam etsi non audeam pro certo dicere, eam missam esse ad Antoninum, ut habet index; tamen nec titulum hunc spurium iudicem, sed saltem hoc consilio adpositum ab *Iustino*, ut appareret, eam defensionem destinari iis, a quibus Christianis esset vel vexatio metuenda, vel auxilium innocentiae sperandum. Clarum autem est, *Iustinum* hoc agere, ut ostendat, quid fiat in Eucharistia, et quid de Eucharistia credatur in Ecclesia: aliter innocentia rei doceri non poterat. Itaque, quemadmodum omnes ex eo loco, fatentur, plane cognosci, qui prima illa aetate ritus peragenda Coenae S. fuerint: sic pariter, quae de ea fuerit sententia Ecclesiae, ex eo loco debet intelligi ac doceri. Sed de hac parte *Iustinus* tradit haec: 1) panem et vinum consecratum esse τροφήν, alimentum, et quidem tale, quo alantur corpora: 2) panem non esse κοινόν, communem tantum et vulgarem, qualis sit cum extra Eucharistiam sumatur, sed esse Corpus Christi: 3) hanc esse de ea re doctrinam Ecclesiae traditam, ἐδίδαχθημεν ἕναί σ. χ. 4) corpus Christi adesse saluo pane, et esse substantiam: nam ita panem esse corpus Christi, ut homo Iesus idem sit Deus. Hoc si *Sabellius*, aut Sabellianae opinionis assecla, scripsisset, intelligeremus praesentiam corporis Christi per efficaciam: sed ab illo errore alienum fuisse *Iustinum*, clarum est: et eadem ratione explicandi vsi sunt postea *Chrysostomus*, *Theodoretus* et alii, qui alienissimi ab Sabelliana peruersitate fuere. Haec omnia

D

peruerti



peruerti nulla ratione legitima possunt: et quae Reformati quidam Theologi contra moliti sunt, ea sunt ab ratione recte interpretandi alienissima, vt ostendimus l. c. vbi haec legent, qui volent.

20. *Iustino* addamus Interpretum N. T. principem *Chryso- stomum*, qui locum Pauli *1 Cor. 10.* explicans, et quare *κοινωνίαν* communionem dicat, non *μετοχήν*, perceptionem, quaerens, *τί γάρ ἐστιν ἄρτος; σῶμα Χριστοῦ* etc. *quid est panis? corpus Christi.* Quid autem fiunt, qui scil. corpus Christi sumunt? Corpus Christi. Quomodo autem panis et vinum sit corpus et sanguis Christi, sumaturque a Christianis, primum in illo ipso loco declarat, cum in poculo dicit esse, quod e latere Christi fluxerit, tum in loco notissima ad *Caesarium* epistolae: nempe eo, quo nos dicimus: idque ita est clarum, vt etiam aduersae partis quidam in *Chryso- stomo* nostram sententiam agnoscant. Et quomodo non agnoscant? cum diferte dicat, panem, amissa sua appellatione, dici corpus Domini, etsi natura panis permanserit, et *non duo corpora* (scil. panis et corporis Christi) *sed vnum filii Dei corpus* praedicari. Ceterum in promptu est iudicare, eandem sententiam placuisse praeceptoribus *Chryso- stomi*, a quibus rationem interpretandi et doctrinam omnem sacram didicerat, *Diodoro* Tarsensi, *Theodoro Mopsuesteno*, qui ab Origene fluxit, vt in Disputatione de *Origene* demonstraui- mus. Sed huic adiungamus e Graecis tertium, qui duobus seculis post fuit, *Anastasium Sinaitam* in *Hodego* c. XXIII. qui in Coena S. negat esse *ἄρτον ψιλόν*, nudum panem, aut *ἄντικρυτον*, figuram corporis Christi, sed ipsum verum corpus I. C. In quo arguitur primum *Albertinus de Sacramentis Euchar. p. 904.* reprehendens *Anastasium*, quod neget, panem esse figuram corporis Christi, cum id superiores Ecclesiae Doctores fateantur, non intelligens, *Anastasium* negare, *meram figuram* esse, quod sane nemo superiorum dixerat; nam figuram et signum sane dixere, id nos quoque fatemur: sed sunt etiam signa rerum praesentium, quae in oculos non incurrunt, cuiusmodi signa in Coena sacra facile agnos- scimus. Nam quod Nouatorem appellat et eius aetate coeptam esse



esse doctrinam in hoc capite mutari, id falsum esse, superiora testimonia declarant. Quae cum ita sint, mirandum est, quomodo *Heumannus*, historiae Ecclesiasticae profecto non rudis, potuerit dicere, demonstratum esse ab *Oecolampadio*, prioribus octo seculis, omnes Zwinglianam sententiam tenuisse: quod falsum esse et res ipsa demonstrat, et non modo demonstratum est iam tum a *Pirkheimero* et aliis, sed ab ipso agnitum, interdum in locis Patrum fatente: *hoc, apparet, contra nos esse*. Atque ita absolvimus demonstrationem sententiae nostrae de praesentia veri corporis et sanguinis Christi in Coena sacra, per quam non panis solus ac vinum solum, sed etiam corpus et sanguis Christi ipse ore fumitur ab omnibus.

21. Non alienum videtur esse, hoc in loco adiicere aliquid, etsi proprie non pertinens ad hanc demonstrationem, tamen et cautioni ei, quam secundo loco posuimus, §. 18. illustrandae serviens, et non ingratum, ut speramus, futurum iis, qui acta eorum cognoscere cupiant, per quos sacrorum repurgatio contigit Ecclesiae. *C. Peucerus* in Epistola ea, quam e carcere Lipsico scripsit ad Augustum Electorem, ut esset pro Confessione, dixerat, *Philippum* profecturum a. 1541. cum *Luthero* ad Colloquium Ratisbonense, huic dedisse chartas, repletas sententiis Patrum Eccl. de Coena sacra, rogantem, ut de iis quid sentiret, sibi ostenderet, ne in ipso actu discreparent. Eas cum *Lutherus* reddidisset, adscriptis glossis, vel scholiis, quibus eae sententiae cum suo de Coena sacra sensu in concordiam redigerentur, *Philippum*, iis lectis, dixisse, tales glossas semetipsum inuenire potuisse, sed eas in disputatione firmas non fore, idque ipsum intelligere. Tum *Lutherum* nihil aliud respondisse, nisi, se ipsi rem permittere bene sperantem de eius dexteritate. Hanc *Peuceri* narrationem pro commento impudentissimo proscripsere *Theologi Vitebergenses* in *Confutatione Testamenti Peuceriani, et illius ipsius Epistolae etc.* p. 127. Et nos non possumus scire aut affirmare, ea ita acta esse, ut *Peucerus* narrauit: hoc possumus



dicere, in manibus nostris esse chartas conscriptas talibus sententiis a *Philippo*, adscriptis glossis et interpretationibus ipsa *Lutheri* manu; quae in *Peuceri* familia seruatae, et velut per manus traditae, peruenere ad *Bernauerum*, Scholae Budissinensis ante non ita multos annos Rectorem, inter cuius libros, in hac vrbe nostra venditos, venerunt tandem in manus nostras: post huius quidem libelli nostri disceptationem reponentur in Bibliotheca Paullina, vbi volentibus inspicere licebit. Sunt autem sententiae maximam partem ex *Augustini* libris; ex *Ambrosio* (s. *Hilario* potius Diac.) ad Corinth. *Irenaeo*, *Origene* singulae; item e *Liturgia Graeca* et *Epi-phanio*, omnes post in hac controuersia saepe prolatae et excussae: sed non sunt ex eo genere, quod nos in cautione secunda definiuimus, propter quam causam *Lutherus* totam illam cohortem sententiarum repudiare poterat, cum sensus Ecclesiae, non cuiusuis doctoris, in disputatione aliena, ad causam suam accommodatio, quaeratur. Scholia autem *Lutheri* habent distinctionem ambiguum, explicationem verborum, et conciliationem cum doctrina vera. Exempli causa duas commemorabimus. Prima ergo sententia est ex *Augustini* libro c. *Adimantum* c. 12. *Non enim Dominus dubitauit dicere, hoc est corpus meum, cum signum daret corporis sui.* *Lutherus* adscripsit verbo *corporis* rubrica, „*praesentis*: sic sanguis est etiam signum animae, sc. inclusae et praesentis: nam hoc agit et rogitat. Tum crassius loquitur infra: *Petra erat Christus* etc., His bene responderi clarum est, nec abnuisse crediderim *Philippum*. Nam signa etiam praesentis rei esse, quis dubitet? Et ipse *Augustinus* aliis locis, vt in *Epist. ad Neophytos*, praesentiam docuerat, *hoc accipite in pane, quod pependit in cruce* etc. vbi tirones docebat. Et in illo loco, aduersus *Adimantum* Manichaeum disputans, super verbis *Mosis*, animantis animam esse in sanguine eius, in omnes partes versans se, ad extremum inquit: *possum etiam interpretari, praeceptum illud esse in signo positum: nam nec Dominus* etc. Ex hac autem responsione pleraeque aliae pendent. Nam vel *signi* vel *sacramenti* verbum est in illis senten-



sententiis, quod dubiam reddere cuiusque opinionem de Coena sacra possit. Durior videtur locus e Comm. in Psalmum. 98. *Non hoc corpus, quod videris, manducaturi estis et bibituri illum sanguinem, quem effusuri sunt, qui me crucifigent, sacramentum ali- quod vobis commendaui.* Et, addit Philippus, *hic verbo commen- dandi aliquoties vitur: commendaui nobis isto sacramento sangui- nem suum et corpus suum.* Glossae Lutheri hic rem referunt ad primam illam rationem: *non hoc corpus, sc. visibile, et palpabile: sacramentum sc. rei vel praesentis vel mysticae.* Item post *crucifigent: non sequitur, non esse corpus, sed sacramento, i. e. velamine.* Et licebat ibi simpliciter respondere, sine talibus glossis, sermonem esse Augustino non de Coena sacra, sed de interpretatione verborum apud Ioannem c. 6. quae non huc pertinet. Ibi sane sensus docuit homines, qui offendeabantur oratione eius, qua dixerat, corpus suum potius vt ederent et sanguinem biberent, videndum esse, quam de cibo naturali laborandum: non se corpus hoc, quod viderent, ita comedi velle, vt panem ante comederint etc. Et sunt aliquot praeter hanc sententiae pariter ad verba Christi apud Ioannem pertinentes, quae erant ab hac causa alienae. Verba Ambrosii s. Hilarii e Comm. qui videatur de genere nostro, sic habent: *quia enim morte Domini liberati sumus, huius rei memores, in edendo et potando carnem et sanguinem, quae pro nobis oblata sunt, significamus.* Recte monet Lutherus, *carnem et sanguinem* referenda esse ad *edendo et potando*, quo et Philippica et librorum editorum interpunctio refert: *significamus, interpretatur mundo etc. repraesentamus vel fatemur pro nobis oblata quae edimus (carnem) et bibimus (sanguinem.)* Hoc etiam recte responderi censemus: nam palam est, auctorem illius Commentarioli, quisquis fuit, in verbo *significamus* habuisse in animo praecceptum Pauli: *καταγγέλλετε τὸν θάνατον τῆς Κυρίας, significate, pro annunciate;* nam illud latinus est et elegantius, pro commemorate praesentibus etc. Sed ad rem ipsam redeamus, et, quae reliqua videantur, expediamus.



22. Nam et dubitationes, commotae e praesentiae maxime notione, et recens interpretatio praesentiae fecere, vt ad absolutionem, non modo firmandae, sed etiam intelligendae sententiae nostrae, sit illa praesentia, de qua loquitur, explicanda, ne vel perturbet animos, vel sub verbi ambiguitate error lateat. Nam Confessionis Augustanae probandae necessitas in Germania fecit, vt cum antea praesentia ipsius corporis Christi in Coena sacra esset diserte negata, tandem de praesentia concederetur. Satis constat, *Bezam*, in Conuentu Possiacensi, de hac praesentia interrogatum, diserte respondisse, tantum abesse corpus et sanguinem Christi a pane in Coena sacra, quantum abesset coelum a terra. \*) Res paulatim eo deducta est, vt praesentiam etiam substantiae concederent, nec de hac disputari dicerent, sed de modo, quo substantia corporis et sanguinis Christi praesens esset. (v. *Turretin. Theol. Elenct. T. III. p. 568.*) Item, quoniam illa praesentia corporis et sanguinis Christi verbo *exhibendi* a nostris exprimebatur, quod, ad praesentiam ipsius substantiae, qualem nos intelligimus, exprimendam erat aptissimum, \*\*) hoc quoque verbo coeperunt vti. Sed

\*) v. *Comm. de Statu Religionis et Reip. in Regno Galliae P. I. p. 115. ed. quartae*: cuius libri auctor historiam illius Colloquii omnium luculentissime tradit: qui si non est ipse *Beza*, quod orationis elegantia non improbable facit, certe suppeditauit auctori materiam auctorum in hac parte: et consentit narratio in *P. Martyris* epistolis ad *Caluimum* et *Bullingerum* de actis conuentus scriptis ex vrbe Parisina. Etiam in hoc *Bezae* ingenium prodit narratio libri, quod multo pauciora de *Martyre* traduntur, quam debebant. Et patet ex illis epistolis, *Bezam* omni modo tentasse remouere ab actu rerum *Martyrem*, cui Regina plus tribuebat, quam *Bezae*. Exemplum, quo nos vtimur valde viciosum est, sed e diuersis edd. mistum. Partes duae priores praeferunt annum 1577. tertia a. 1589. quarta 1575. quinta 1580. et praefert Lugdunum Barauorum, vbi et ceterae expressae videntur: adeo et charta et formae literarum consentiunt. Incipit opus elegantissimum et lectu dignissimum, vbi *Sleidanus* desinit, et desinit ipsum in rebus anni 1576 et Edicto quinto pacificatorio.

\*\*) Est enim verbum iuris, quod est, praesentem sistere, nec aliud magis proprium et euidentius aut ius aut latinitas habet ad exprimendam veram praesentiam: eoque vsus erat *Philippus* in *Apol. A. C. art. X.* repetiturus sententiam illius articuli, vbi nunc quoque extat: idem verbum post nostri non



Sed vt in illo genere non veram substantiae praesentiam intelligebant, sic et exhibendi verbum aliter, quam nos, et quam verus sensus verbi fert; vt nuper diserte fassus est, *Cel. Beckius* in *Synops. Theol.* p. 217. non exhibitionem rei ipsius, sed repraesentationem veluti pignoris, exhibitionem moralem. Nempe, vt *Turretinus* ait, praesentiam substantiae intelligunt, quae sit, non in *ἀδιασυσία*, (quasi tu dicas, indistantia,) quae sola veram, et quae proprie dicitur, praesentiam facit, sed in efficacia et operatione: eamque ipsam talem, qualem supra descripsimus; quae sit non ipsius Christi, sed fidei per symbola panis et vini excitatae vel admonitae ad cogitandum, et per illam cogitationem se firmantis et roborantis.

23. Sed etiam e nostris quidam, cum in philosophia suscepissent praesentiae notionem, per quam poneretur in efficacia et operatione in rem quamcunque, talemque fingerent ipsius praesentiam Dei, hanc admiscentes Theologiae, praesentiam corporis et sanguinis Christi per efficientiam quandam in mentibus humanis explicare coeperunt, diserte exclusa praesentia substantiae propria, et quam vulgo intelligimus in eius verbi usu; cuius generis exemplum nuper in *Bibliotheca theol.* (T. IV. p. 59.) notauimus; quod profecto nihil aliud est, quam veram praesentiam tollere, et ab doctrina Ecclesiae nostrae deficere. Et illa quidem ratio explicandae praesentiae diuinae semper ab Theologis recte sentientibus repudiata est, praesertim per occasionem controuersiarum Cartesianarum; nec vllō modo admitti in Theologiam et ad interpretandas Scripturas adhiberi potest, quae Deum ipsum vbique esse, a nulla re spatio et interuallo seiunctum docet; quod simplici fide teneri debet reuerentia verbi diuini, etsi modum rei intelligere mens humana non potest: praesertim, cum manifeste praesentiam Dei, in qua est

non tulere, cum in ipsa A. C. posuisset, vt ego arbitror, maioris euidētiaē causā, pro *adesse*; vt illi tum interpretabantur, accommodandi articuli ad sensum Zwinglianum, certe emolliendum. Eodem porro nemine improbante vsus est in *Confessione Saxonica* a. 1551. quae Tridentum mitteretur, *art. de Coena sacra* p. 134. (T. I. Oper.) In hoc mihi vix persuadeo inimicos *Pbilippi* non aut ignorantia aut inuidia peccasse.



est attributum naturae diuinae, non actio, confundat cum prouidentia, et, ea probata, multa et magna incommoda sequantur. Sed in ea causa, de qua nunc agimus, non modo vniuersa illa et communis praesentia Christi, quam per coniunctionem diuinae naturae cum humana habet, sed alia, quasi propior, et voluntaria, intelligenda est: quod genus praesentiae clare naturae diuinae vindicant Scripturae. Atque nos non hic commemorabimus illam fidelibus propriam praesentiam Dei, inhabitantis mentes eorum; quam tulerimus tropicam intelligi, vt sit a multis, et efficaciae amoris diuini, exferentis se in animis piorum, augendis eorum bonis spiritualibus; si modo non vtantur argumento eo, quod video iactari, cum dicant, non intelligi posse, quomodo natura diuina, quae sua sponte sit omnibus rebus praesens, possit fieri propior fidelibus, idque esse absurdum penitus. Nam si ita esset, profecto Sabelliana ratio in explicanda Christi natura pariter probanda, et nostra, siue Ecclesiae orthodoxae constans sententia, pro absurda repudianda foret: cum *Sabellius*, *Paullus Samos.* et similes haeretici, pariter dixerint, diuinam naturam Christo praesentem et coniunctam fuisse per efficaciam et operationem, non substantia, quae nulli rei propior esse posset, propter eam, quam nostri illi, commemorant, causam, aut substantiae *ἀδιαστοία*. Itaque, vel hoc exemplo admoniti, existimemus, praeter necessariam illam et naturalem Dei praesentiam, omnibus rebus communem, intelligi posse ac debere genus aliud praesentiae voluntarium, sed illi naturali simillimum, hoc est, pariter seiunctum ab humanae et corporeae praesentiae circumscriptione: et eius indolis esse id, quod corpori et sanguini Christi vindicamus in Coena sacra, freti verbis eius et promissis. Nec eius praesentiae facultatem negare Christo homini possumus, vt recte defenderunt nostri, cui omnia sunt cum diuina natura communia facta, per illam coniunctionem ipsius cum diuina talem, vt vna persona (vnum subiectum) effecta sit. Atque ex his intelligitur, etiam illud falsum esse ac temere iactari, quod dicunt etiam de nostris quidam, de modo praesentiae disputari;



tari; in quo nullum momentum sit ad summam rei. Non modum, sed genus praesentiae definimus; cum satis sciamus, ac fateamur, modum, non tantum huius generis, sed praesentiae diuinae vniuersae, ignorari, et, vt aliarum rerum diuinarum modos, v. c. creandi, atque etiam operandi voluntatis nutu in res quaslibet, corporeas et incorporeas etc. captum intelligentiae humanae longissime superare. Hoc autem modo explicata praesentia carnis et sanguinis Christi in Coena sacra, etiam dubitationes tolluntur, quae aduersus eam sunt commotae, quas mox attingemus.

24. Ac ne licet quidem iis, qui nostram sententiam se dicunt probare, aliter intelligere praesentiam corporis et sanguinis Christi, aut per meram efficaciam et operationem explicare. Eius vero rei facilis et euidentis demonstratio est. Nam nos praesentiam ita defendimus, vt eam communem faciamus omnibus vescentibus et bibentibus, etiam indigne sumentibus symbola. Enimvero, quam possumus intelligere operationem corporis et sanguinis Christi in iis, qui indigne vescuntur et bibunt? cum non modo fructum nullum capiant sumentionis, sed etiam poenam improbitatis luant? Nam quod dicunt, illam ipsam perniciem, a Paulo denunciatam, esse *ἐνέργειαν*, efficientiam operantis praesentiae Christi; id totum est alienum. Nam efficacia corporis et sanguinis Christi nulla alia intelligi potest, nisi quae sit ad salutem: cuius causa et corpus Christi morti oblatum et sanguis fusus est. Iudicium et poena, cuius metus indignis proponitur, non est Christi morientis et expiantis peccata nostra, sed iudicantis, et Dei vlciscentis profanationem filii sui. Nam et euangelium ipsum, id est, promissio Euangelii, cum est *ὄσμη ζωῆς εἰς ζωὴν*, odor viuificans, res homini salutaris, eam vim habet a se et sua efficacia; cum dicitur *ὄσμη θανάτου εἰς θάνατον*, odor enecans, id non est ex Euangelio et eius efficientia, sed poenae quam infligit iustitia Dei, vlciscens contemptum salutis, a se oblatae. Illud etiam in hac opinione, qua salutarem efficaciam, est vitiosum, quod in ea confunditur id, quod in ipso actu accipitur, cum fructu, qui ex eo, quod acceptum est, percipitur, qui est efficaciae et operationis. Quae res nos admonet, vt quae sit illa,

E

quam



quam laudamus, efficacia corporis et sanguinis Christi, cum a fidelibus pie et religiose sumuntur, breuiter explicemus: praesertim cum et hoc non satis diligenter et accurate ab omnibus explicetur, sintque, qui omnem efficaciam aut effectum ab sumentis cogitatione repetant, quos nominare non est necesse.

25. Est autem efficacia Sacramenti huius duplex: altera ex eo genere, quod *morale* vocamus, sed ita ut non sit tota cogitationis humanae, ut in sententia Zwingliana: altera tota ipsius corporis et sanguinis Christi, diuina et coelestis, in qua nullae hominis partes sint. Prima igitur illa est in eo, quod in accepto corpore et sanguine Christi est admirabile et amabile pignus expiatorum et condonatorum peccatorum nostrorum, gratiaeque diuinae, quod fideles pie cogitantes, et comparantes suam indignitatem cum benignitatis diuinae tanta magnitudine, tale pignus salutis sibi destinantis et tradentis, intimo, et ad placandum animum certissimo, ad exhilarandum autem suauissimo sensu adficiuntur, adiuuante etiam hunc sensum et acuate Spiritu sancto, ut saepe lacrimae dulces manare incipiant: qua suauitate nihil potest esse optabilius. Nobis quidem ab hoc sensu tanta commendatio accessit sententiae nostrae, ut vel eius causa nobis carissima sit, et, si in ea error intercederet, quod scimus non esse, eum nobis errorem (condonent lectores nobis hoc verbum) eripi nollemus. Haec igitur vis Sacramenti est talis, qualem supra diximus esse debere, si veram, et quam proprie dicimus, vim intelligere velimus. Inest enim in ipsa re Sacramenti, sed sentitur, patefacto, ut ita dicamus, animo ad accipiendum illius sensum per cogitationis fidelis pietatem.

26. Altera autem vis et efficacia, etsi exferit se tantum in fidelibus, tamen, ut diximus, tota est corporis et sanguinis Christi ipsius; eaque se ita profert, ut in eo nullae partes sint hominis fidelis, omnia Christi ipsius. Neque enim sumimus corpus mortuum, nec cruorem, qui iam non sit Christi, sed vtrumque viuum et diuinum filii Dei, operantis per vtrumque, ut instrumentum suum, carum et sanctum, ubi cum fide et pietate sumuntur. In quo profecto nihil statuimus, quod absurdum et incredibile §. 23. ac non



non dignum sit Christi et benignitate et maiestate: etsi modum rei ignoramus, quem scire nihil refert. Atque haec sententia fuit, haec mens ecclesiae veteris, quae deinde paulatim coepit corrumpi per ingenia Scholasticorum, vim physicam inducentium, et verba, quae facile in prauum sensum traherentur, vt *operis operati*, quod ab initio nullam aliam efficaciam expressit, quam quae a nobis descripta est, hoc est, quae sit ab ipso Christi corpore et sanguine, sed in iis solis, qui cum fide sumere, vt habet ipse *Lombardus in Sententiis, L. IV. dist. 4. quaest. 1. 2.*

27. Sed age, etiam dubitationes attingamus, aduersus sententiam nostram inuentas ingeniis vel aduersantium palam, vel minus ei fauentium, quae quidem speciem habeant talem, per quam commoueri homines possint, vt vel labefactetur veritas, vel eripiat. Et erit haec ratio nobis expeditior, quod loci, vnde responsiones ducantur, fere patefacti sunt in superioribus. Ceterum quoniam eas dubitationes ita bene perscripsisse et explicasse putatur *Sam. Werenfelsius* in Diatribe de *Sensu Verborum D.* vt nuper *Cel. Beckius*, oppugnaturus sententiam nostram, optime se facturum existimaret, si eas inde ductas proponeret; nos quoque eas inde sumemus, sed ita, vt quasdam alias adiiciamus. Posthaec de toto genere harum dubitationum dicemus.

28. Ac prima in ore solet esse repugnantia rei totius, propter quam, vt *Werenfelsius* ait, pro lenitate sua, probabilis non sit sententia nostra, vt *I. A. Turretinus*, credi non possit, sed repudiari debeat. Ea repugnantia esset profecto in sententia nostra, eamque sola absurditatis conuinceret, si praesentiam physicam statueremus, quae est necessario visibilis, et loci vnus terminis circumscripta, vt fuit Christi in his terris agentis. Sed talem praesentiam non agnoscimus nec defendimus; estque testatum omnium nostrorum de ea re libris, id genus praesentiae esse ab hac re alienum. Quale autem hoc praesentiae Eucharisticae faciamus, supra demonstratum est, nempe simile diuinae, quae exemplo diuinae praesentiae eius, quae fuit et est in Iesu homine, declarata est, quam nunquam negauere, qui contra nos disputant, sed aduersus Sabellianam et Socinianam



haeresin pari nobiscum studio defenderunt: non quo sit plane eadem, vt personalis coniunctio existat, sed similis hactenus, vt adsit symbolis corporis et sanguinis Christi substantia ita, vt non adest aliis rebus. Eam autem non defendimus potentiae diuinae argumento, vt fingunt, nec cum vniuersa omnipraesentia confundimus, sed ab ea distinguimus, et voluntariam facimus, qualem illam superiorem filii Dei in homine Iesu fuisse scimus. Illius autem praesentiae facultatem corpori et sanguini Christi non aliter vindicamus, quam per coniunctionem humanae naturae cum diuina natura filii Dei talem, per quam, vbi filius Dei sit, aut esse proprio quodam modo possit, ibi etiam sit et esse possit natura humana. In quo nihil repugnantiae esse, exemplo et facto docuimus, quod est argumentum possibilitatis vniuersae euidentissimum et certissimum. Accedunt promissorum Christi de simili praesentiae genere exempla alia *Matth. 28. extr. et ibid. 18. 20.* quorum parum memor fuit, qui, Christum nunquam de praesentia sua in his terris promississe, scripsit.

29. Nec verum est, talem praesentiam esse alienam a consilio (scopo) instituti Sacramenti. Immo ei est aptissima, et sola facit Sacramentum dignum Christi sapientia et bonitate: sine qua nullam vim veram habeat, sine qua nihil accipiatur proprie, sine qua superuacuum sit, nihil nisi admonendi ritus, quo carere homines, cui pares nec minus efficaces vel inuenerint ipsi, vel inuenire possint.

30. At Sacramenta non pertinent ad corpus, sed ad animum. Ergo nihil attinet ore sumi corpus et sanguinem Christi, sed solo animo percipi debent. Vtique, si sumtio ea, quae fit ore, nihil valere ad animi vtilitatem potest, sed, quae ore percipiuntur, tantum corpori alendo prodesse possunt. Sed id secus est. Et intelligi potest, quomodo animo prodesse mirabiliter illa sumtio possit, vt supra est, §. 25. 26. demonstratum. Nec humanae sapientiae est, definire, quomodo Christus debeat animis fidelium succurrere; nec fas est negare, Christi curam fidelium posse tali modo imbecillitati humanae opem ferre, aut eam ita circumscribere, vt non possit id facere etiam modo quodam proprio et peculiari. Non necessitatem absolutam



solutam talis rei defendimus, quae omnino abest ab hoc Sacramento, sed benignitatem Christi liberam et prouidam praedicamus et laudamus.

31. Sed ita nouum genus edendi ac bibendi constituitur, quod fit medium inter physicum et morale, quorum illud ad corpus, hoc ad animum pertineat, cum non nisi duo esse possint, quia totidem modo sunt partes hominis. Enimvero quid nouitatis commemoratio nobis obsit, non videmus, cum totum hoc institutum Christi nouum fuerit. Et tertium genus edendi nihil absurdi habet. Nam quid impedit, quo minus sit genus, quod fit, vt homo mixtus e corpore et animo, sic ipsum mixtum actu duplici, corporis primum in accipiendo, animi deinde in fruendo. Id autem genus Sacramento proprium facimus, etiam mysticum appellemus licet, quia primum religiosum est, deinde, quia quod editur ac bibitur ore, non incurrit in sensus: esset enim ea physica perceptio: sed fide modo, verbis et promissis Christi nitentis, cernitur.

32. At ita non sumitur corpus Christi mortui, sed viui et gloriosi. Bene. Sed quid id ad rem? Etiam tum viuebat, cum primum discipuli edebant ac bibebant, et dabatur corpus morituri post, vt nunc datur ante mortui. Nihil hic tempus mutat. Etiam Zwingliani iam per fidem, vt volunt, vescuntur corpore Christi viui et gloriosi, sed qui olim mortuus fuit, nec eo auertuntur cogitationes a morte Christi. Si absurdum est, proprie sumi corpus Christi viui, quia non viuum, sed mortuum corpus expiauit peccata, etiam absurdum est, corpus viui iam Christi cogitatione sumi, et omnino abstinendum erit ab Coena sacra, si mortui tantum aut morituri corpus sumendum est.

33. Illa porro de sensu verborum Christi eo, quem nos facimus, dubitatio, quod de eo discipulis in mentem venire non potuerit, cum facilis esset sensus tropicus, supra iam dissoluta est, vt speramus, per ea, quae §. 8. disputata sunt. Nec est consequens, si quis, totius rei imperitus, verba illa primum audiret, non assequeretur sensum eum, quem nos facimus: igitur nec Apostoli assecuti sunt. Nam iste imperitus omnino nihil intelligeret, nec ma-



gis id, quod Zwingliani volunt. Nec totum hoc conuenit Aposto-  
lis, per ea, quae loco commemorato diximus.

34. Hoc quoque nostris interdum solet molestum esse, vel  
sua sponte, vel cum vrgetur ab iis, qui contra disputant, quod Chri-  
stus, cum primum coenam illam praebebat suis, ipse adfedit mensae  
in oculis suorum, videturque abhorrens esse, si suum ipse corpus et  
sanguinem manu tenuerit et tradiderit. Quorum illud tollitur iis,  
quae de genere praesentiae disputata sunt §. 23. quam non physsi-  
cam, adeoque non adspectabilem aut contrectabilem intelligi debe-  
re ostendimus, sed ex alio genere, quod etsi verum, tamen insen-  
sibile est. Alterum autem, etsi ab *Augustino* dictum scimus, tamen  
nobis plane repudiandum videtur, totumque ortum est ab re non  
bene intellecta, et perturbata ab iis, qui consecrationis Eucharisti-  
cae hanc vim esse existimauere, vt per eam praesens esset corpus  
Christi ante, quam panis et vinum acciperentur: in quo nobis  
secus videri, disputauimus in *Anti-Muratorio*, cum locum de Con-  
secratione vel perpurgare vel illustrare tentabamus, existimantes  
praesentiam corporis et sanguinis Christi non ante intelligi debere,  
quam cum edamus ac bibamus, et inter edendum ac bibendum: ne-  
que enim ea est opus ante, nec ex verbis Christi aliter intelligi per-  
spicue potest. Itaque non cum frangebatur ac praebebat edendum  
panem, corpus se frangere ac dare dixit, sed cum sumtum panem  
edebant, corpus esse suum, quod ederent, pronunciauit.

35. Obiicitur etiam dubitatio e *memoriae* verbo, quod Chri-  
stus in Eucharistia sui nos meminisse velit: sed memoriam absentium  
esse non praesentium. At primum memoriam Christi latius patere,  
quam latinum verbum sonet, ante demonstrauius: deinde, si ma-  
xime eius vim plane latinae consuetudinis modo aestimemus; ta-  
men nihil lucretur, qui per eam nobis aduersetur. Nam in eo, qui  
sit ita praesens, vt oculis cernatur, memoriae vsus utique alienus sit:  
quod secus est in eo, cuius praesentia adspectum oculorum fugiat:  
alias nec Dei memores esse possemus, quem nobis praesentem esse,  
non cogitatione modo et verbo, sed re vera, non negauerint.

36. Nec



36. Nec hoc difficile est ad refellendum, quod fuit qui diceret, praesentiam eam, quam nos faceremus, esse alienam a conditione ea, quae nunc sit Christi: quippe per eam reuocari Christum ad conditionem humilitatis terrenae, ταπεινώσεως. Nam id ita esset, si corpus eius fumeretur sic, ut dentibus comminueretur, fieretque obnoxium hominibus, ut fuit in terris. At id praesentiae, quam nos facimus, genus, est potius extollendae quam deprimendae humanitatis Christi, cum sit, ut ostendimus, generis diuini, et sua magnificentia excedat captum rationis humanae.

37. Sunt et alia genera dubitandi, quae sunt aut similia his, quae a nobis sunt dissoluta, vel non habent difficilem explicationem, si teneantur ea, quae a nobis ad explicandam causam nostram sunt disputata. Itaque, iis praetermissis, in uniuersum aliquid de toto genere talium dubitationum dicendum videtur, per quod caueatur his, qui propter ingenii imbecillitatem, aut aliam quam causam, expedire se earum veluti laqueis non possunt, et propterea aut animo anguntur, aut, si in iis sit aliquid leuitatis, vel ab aetate, vel a vitio quodam pravae consuetudinis, ad veritatem deserendam inclinant.

38. Intelligendum igitur est, dubitationum, quae contra veritatem mouentur, duo genera diligenter esse discernenda. Nam aliud est, quod ad interpretationem verborum Scripturae sacrae ipsam pertinet, e quibus proprie rei iudicium in capitibus fidei pendet: aliud, quod e rei natura, cum notionibus et principiis philosophicis et naturalibus comparata, oritur. Si ex illo sunt genere, debent sane graues videri, et dignae, in quibus dissoluendis laboremus, considerandis verbis Scripturae, et interpretationibus diligenter ad veras et certas interpretandi regulas exigendis. Sed huius profecto generis non esse dubitationes, quae in hac causa mouentur ab aduersariis nostris, vel infirmis oboriuntur, res ipsa demonstrat. Et habet profecto nostra interpretatio locorum omnium characterem facilitatis, altera difficultatis. Sed ἀπλὴν τὸ ἀληθές, *veritas simplex et facilis est*, erroris defensio torquet se et argutatur. Nam si omnia percenseas, quae contra Ecclesiae nostrae sententiam prolata



prolata sunt in medium, non reperias huiusmodi quid, quod nostram interpretationem ex usu linguae, contextu, parallelismo vitii arguat; sed omnia sunt huiusmodi, ut verba illum quoque suum figuratum sensum habere posse dicant, in eoque docendo se torquant: *quid impedit, quo minus sic intelligantur? non video, quare non etc.* quod non est certa ratione interpretantis et docentis, sed fluctuantis, et haerentis, siue, ut *Cicero* ait, optantis. Itaque ab argumentis ac dubitationibus, pertinentibus ad interpretandi rationem, celeriter resiliunt, et ad alterum genus festinant: cuius sunt eae, quae a nobis allatae sunt.

39. Igitur primum et optimum remedium dubitationum est, demonstrationem ipsam dogmatis diligenter considerare, velut eam, quam nos proposuimus, et omnes eius partes accurate expensas diiudicare. Eam si et verba Scripturarum recte, simpliciter, ex usu linguae et contextu interpretari, e verbis recte explicatis, legitime ratio cinari, e principiis inde vel e natura communi Sacramentorum ductis recte argumentari repereris, denique etiam consentaneam sensui antiquioris Ecclesiae, tum vero acquiescendum est: et tuto conquirere animus potest, nihil curans dubitationes aliunde repetitas. Etenim eae nullo iure tollere debent aut possunt ἀσφάλειαν, et firmitatem assensionis e demonstratione; ne minuunt quidem: idque usus in rebus aliis demonstrat, quas aut sensu, aut demonstratione legitima perceptas tenemus: in quibus saepe ingeniorum quorundam, ut Academicorum veterum, Scepticorumque solertia inutilis et luxurians, difficultates mouit, quas aut perpauci tollere de medio possint, aut fortasse omnino nullus. An tu vero, si dubitationibus, aduersus motus veritatem inuentis ab Eleatica schola, et repetitis a recentioribus Scepticis, *Berkeleyo* et aliis, aut iis, quae sunt apud *Sextum Empiricum* contra theoremata geometrica, respondere non possis, de motu ipso dubitare, et sensus tuos mendaces existimare, et theoremata geometrica falsa iudicare sustineas? Unde etiam fit, ut si cui dubitationes tales iniiciantur, in iis tollendis magis, veritatis aduersus alios defendendae causa, laborare debeat, quam fidei suae conseruandae, nec angri animo et sollicitari, si  
iis



iis refellendis se imparem sentiat. Et quoniam dubitationes omnes a nouitate magnam speciem solent accipere, prudentiae est, tempus dare animo ad examinandum, dum vis nouitatis frangatur, interea cogitare subinde veritatis argumenta, vt altius descendant in animum, eumque aduersus dubitationum sollicitationes corroborent.

40. In ipsis autem dubitationibus examinandis, oportet in primis habere in promptu notiones praesentiae, et efficaciae Sacramenti, quales a nobis e Scripturis et analogia doctrinae Christianae propositae sunt. Nam illa valebit ad frangendas dubitationes eas, quae maxime solent animos perturbare, cum praesentiam corporis et sanguinis Christi metiuntur communi corporum, adspectabili, et loci certi terminis circumscripta praesentia, quae tota est ab hoc capite aliena, nec a nobis defenditur: haec cauebit, ne verbis magnis decipiamur aduersariorum, cum, sua sententia probata, salua omnia manere Sacramento iactant, eaque re famus proniores ad sententiam probandam, quae blanditur ingenio humano specie facilitatis maioris et consensus cum notionibus communibus de corporeis rebus earumque praesentia.

41. His explicatis, facilius nobis erit respondere ad quaestiones propositas ab duobus ignotis, sed, vt confidimus, probis et religiosis doctoribus Ecclesiae, de quibus sententiam nostram cognoscere cupiant. Prima erat, an, si quis vir cognitae alias probitatis et reuerentiae erga religionem et Scripturas sacras, et integer ab vanitate ingenii in mysteriis religionis tractandis, fateatur sacerdoti, sibi non *profsus* esse persuasum de praesentia corporis et sanguinis I. C. in Coena sacra, qualem doctrina Ecclesiae nostrae publica defendat, in ceteris omnibus, quae de ipso Sacramento habeat, plane cum ea consentire: an igitur, salua officii religione, possit ad communionem Sacramenti a sacerdote admitti? Altera pertinebat ad sacerdotem ipsum, qui cum illo super ea re disputando aut sua sponte labefactatus sit, factus etiam ad alteram sententiam pronior; quid ei per religionem, qua adstrictus est libris doctrinae publicis, fas sit facere: vtrum ei relinquendum sit sacerdotium, quo pie et religiose fungatur, an,



salua fide et religione, manere in eo possit? De his rebus, quae sententia nostra sit, communicato etiam cum aliis Theologis doctis et piis consilio, breuiter exponemus.

42. Quod igitur ad eum attinet, qui nobis in prima quaestione descriptus est, tantum absimus, vt neganda Coenae sacrae comunione prodendum et molestiis exponendum censeamus, vt eum etiam misericordia dignum, consolandumque, et propter ingenuitatem in aperienda dubitatione, laudandum putemus. Nam quod ait, sibi non *prorsus* persuasum esse, id nullam vim aliam habere potest, si res recte expressa est, vt speramus, quam, vel argumenta, quibus sententia nostra defendatur, quaeque ipse cognouerit, sibi non satis firma videri, vel contrariis argumentis et dubitationibus vtriusque generis dissoluendis se non parem esse, iisque animum esse labefactum. Enimvero, si ita res est, praesertim si de genere posteriori, non fides ei deest, sed *πληροφροια* et firmitas fidei, quae, vt est magnum bonum, ita non necessarium, nec quod omnibus contingat; saltem non deest bona voluntas credendi penitus, si vel melius intelligat argumenta, vel meliora reperiatur, denique si dubitandi causae tolli docendo possint. Ac docet vsus et experientia, causam talis mali esse fere in genere posteriori. At quis est, qui non interdum tentetur in aliquo genere doctrinae dubitationibus, cum magni illi heroes, *Lutherus, Melancthon*, et alii, id sibi accidere confessi sint, et questi? Assaphus etiam de prouidentia diuina diu dubitauit, quod res secundas impiorum cum ea non posset conciliare, idque genus dubitationis frequens esse, ait *Apol. A. C. p. m. 153.* ob similes difficultates et causas. Et dubitationes tales sunt interdum fortuitis, sed latentibus et obscuris de causis, admodum pertinaces, nec statim cedunt certissimis argumentis. Igitur patientia opus est, dum aut dubitationibus vim demat dies, aut bonorum argumentorum vis se exserere possit, quod et ipsum non semper fit repente, vel alia, certe apud illud ingenium, efficaciora reperiuntur, quae requirendi voluntas et studium tali viro non deerit. Neque vero dubitandum est, homini in ceteris necessariis capitibus doctrinae recte sentienti, et pio, Coenam sacram



cram fructuosam fore. Nam etsi amittit Sacramentum apud eum efficaciam, quam §. 25. descripsimus; tamen relinquitur altera, eaque etiam maior, quod non minus ceteris percipit verum corpus et sanguinem Christi, cuius praesentia est e promisso Christi, non opinione nostra, nec infirmitate fidei et aliqua tali dubitatione tolli potest; et in ea sumenda tamen aliqua exercitatio fidei relinquitur, qualis est e solo verbo Dei extra Sacramentum, ab admonitione externa. Ceterum sua sponte intelligitur, si constantia dubitandi accedat, aliter iudicandum esse: quod nulla talis dubitatio est perpetua in animo vere pio et verbum Dei religiose tractanti; quem nunquam ita destituit vis diuina, ut dubitationibus plane succumbat.

43. Altera quaestio est superiori non admodum dissimilis, quod et in ea non sententiae nostrae repudiatio diserta est, sed tantum dubitatio similis et ex iisdem causis exorta. Si igitur nihil amplius sit, resque in eo consistat, non longius procedat, denique in ceteris capitibus religionis omnia consentientia sint doctrinae publicae, nulla profecto necessitas est statim resignandi muneris legitime accepti et bene administrati: immo vero videatur sua sponte succumbere tentationi, si nimis festinet, et quasi renunciat vocationem legitimam. Ceterum sua sponte intelligitur, ei, modeste de se et ingenio suo sentienti, diligenter facienda esse, per quae liberari ab dubitatione possit, secundum ea, quae paullo ante suasimus iis, qui in eas molestias inciderint, ut primum discernat dubitationes philosophicas, quarum contra sententiam claram Scripturarum nulla vis esse potest, ab suspicione Scripturae sacrae non recte intellectae vel explicatae secundum veras et certas interpretandi leges, e qua sola dubitatio esse potest alicuius ponderis, in qua sit laborandum. Vbi vero suspicio haec, excussa diligenter, corroboretur potius, quam debilitetur ac minuatur, resque redierit eo, ut plane falsam putet sententiam publicam, sentiatque assensionis in contrariam partem inclinatae firmitatem, tum vero iam deteriores est loco. Quamquam nec hic nimis festinandum arbitramur. Neque enim nobis persuademus, ita desereri a Deo pios et probos



bos viros, quales illos fingimus animo, secundum ea, quae de se  
 ipsi scripsere, vt ad veritatis agnitionem redire non possint, nec  
 est credibile, tam repente tantam firmitatem in animo existere  
 posse. Itaque sperare licet, illum sensum firmitatis et opinionem  
 certitudinis in sententia noua, esse ab ipsius et argumentorum, per  
 quae quis a priori sententia est deductus, nouitate, qua vix aliquid  
 est in eo genere fallacius. Itaque non est nimis credendum illi  
 sensui, sed spatium dandum animo, dum nouitatis vim minuat dies,  
 et re vtrinque saepe, diligenter et religiose cogitata, consultisque  
 Theologis doctis et moderatis, et qui, ad exemplum Christi, mise-  
 ricordia imbecillitatis humanae tangantur, *Ebr. 4, 15.* iudicium fa-  
 cere constanter possit. Quodsi post haec omnia tamen opinata  
 illa firmitas assensionis in alteram partem maneat, atque adeo augea-  
 tur, tum vero dubium esse non potest, quin decedendum sit a mu-  
 nere docendi in Ecclesia nostra. Neque enim iurisiurandi religio  
 aliter fieri sinit, et prorsus abhorret a viri boni et Christiani offi-  
 cio, aliis credendum proponere, vt consentaneum Scripturis, quod  
 ipse falsum esse constanter iudicet.

Haec fere habuimus, quae hoc tempore, super argumento  
 proposito, pro modo exercitationis Academicae scriberemus.  
 Quibus si quid profecissemus, vel ad doctrinam Ecclesiae nostrae  
 illustrandam firmandamue, vel ad animos imbecillos corroboran-  
 dos consolandosue, existimabamus, nos, quod valde optandum  
 esset, consecutos. Oramus Deum, Patrem Domini nostri I. C.  
 vt hunc carum filium suum illustret in mentibus omnium, et eas  
 gubernet per veritatis suae doctrinam, ipsamque veritatem in ani-  
 mis nostris firmet, roboret, fundet: ei sit laus et gloria in secula  
 omnia!









